

TION.

XXIX.



1. de Arbitris: P. G. Hammer, R. J. A. Gumpelzheimer.
2. de bone merito. R. P. Müller, R. I. Kusaeg.
3. de quarta Trebellianica. C. G. Berger.
4. de Demonstratione, von der Bestimmung. F. Müller
R. F. Philippi. R. J. Schumann.

31

~~XXXX~~
XXXX

DISSERTATIO JURIDICA
DE
STYLO CURIAE,

QVAM
AUCTORITATE
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
IN

ILLUSTRI ACADEMIA VIADRINA,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO, EXCELLENTISSIMO

DN. SAMUELE STRYKIO,

J. U. D. INSTIT. IMPERIAL. PROFESS.
ORDINAR.

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO
HONORATISSIMO,

IN AUDITORIO JCTORUM

AD DIEM XV. JULII. A. O. R. M. DC. LXX.
HORIS SOLITIS

PUBLICE EXAMINANDAM PROPONIT

CHRISTIANUS Groß /
SEDIN. POMERAN.

Cum Privilegio Sereniss. Elect. Saxon.

V. I. D. XXIII.

Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta / M. DC. LXXIX.



1715

DISSERTATIO JURIDICA
DE
STYLO CURIAE
AUCTORITATE
MAGISTRI JUDICIS ORDINIS
ILLUSTRI ACADEMIA VIADENSI
P R A E S I D E
M A G I S T R O
D R S A M M E L L E S T R Y K I O
J. U. D. I N S T I T. I M P E R I A L. P R O F E S S.
O R D I N A R.
P A T R O N O A C P R A E F E C T O R E S U O
H O N O R A T I S S I M O
M A G I S T R O J O H A N N E
A D D I E M X V J U L I A. O. R. M. D C L X X.
C H R I S T I A N I S
S E D I N F O R M A N.
S E C R E T A R I O
C H R I S T O P H O R O
M. D. C. L. X. X.

Dissert.





DISSERTATIONIS
DE
STYLO CURIAE
PROOEMIUM.

Immensam Juris Civilis amplitudinem fatentur omnes: Nimiam Romanarum Legum copiam accusant plurimi: Paucioribus Legum decisis includi Jurisprudentiam posse augurantur varii. Nemini inde satisfecit Justinianus, desperatum opus aggrediendo & absolvendo. In compendium qui redigi posse Jurisprudentiam autumant, vix ullum, nisi in statutis variorum locorum, inveniunt asylum. Saxonibus & Civitatibus aliis, quotquot Jure Lubecensi utuntur, adeo statutorio jure prospectum esse intrepide asserunt, ut jure Romano omni carere posse videantur. Quo verò his ire datum, eo politiori huic seculo, omnia in artis compendium redigere gnaro, quis aditum negaret? Quis compendiosissimam Jura Republicæ præscribendi rationem impossibilem fore existimaret? Verum laboris nondum tentati facilior conceptus, quam exantlati laboris desideratus eventus. Fatemur faciles, Statutorio Jure multis difficultatibus occurri, multasque Romani juris ambages in Compendium redigi posse: An tamen ullibi statutoria jura hoc perfectionis punctum fuerint assecuta, ut Juri Romano universo repudium dare licuerit, eventu hæctenus nunquam comprobatum. Facilis ita via erit coarctandi Jurisprudentiam, si tamen semper in casum deficientis recepti juris ad Romanum Jus, quod quasi Gentium hodiè videtur esse, detur recursus, qui Saxonum & Lubecensium jure omnino patet. Atqui vero ita Juris Romani cognitio omnino scitu necessaria

A 2 mane-

manebit, illa quidem amplitudine, pro ut nobis exhibetur. Ut ut autem magna sit, non tamen tanta legum Civilium multitudo est, quæ omnibus omnino casibus decidendis sufficiat: Multa recipiuntur usu, hætenus ignorata. Multa usu deciduntur, hætenus dubia. Stylus Curiaë exemplo erit abundantissimo. Quam multa, imò pene innumera hic receperit, mutaveritque, res ipsa loquitur. Inde factum, ut qui Praxi litant hodie, primum solliciti esse teneantur, quid styli sit, post, quid per statuta locorum receptum, demum, quid his deficientibus Jure Communi sancitum. Omnia hæc sibi jungenda invicem. Alterum si defecerit, infelici decisione lites sopientur. Cum ergo prima de Curiaë stylo Practicorum cura sit, quibus terminis circumscribatur stylus, inquisivisse necessarium existimavi. Exercitium enim Academicum dum mihi edendum fuit, hanc potissimum materiam seligendam putavi, ut in ea quid valeant humeri explorare valerem. Praxin quidem meram stylus Curiaë ubivis redolet, ut hinc, quod celebri quondam inter Gallos Jcto Rebuffo exprobatum fuit, quasi de stylo Curiaë Romanæ literis quædam consignaverit, cum tamen nunquam Romæ fuerit; mihi quoque opponi possit, quod Praxin & fori strepitum nunquam fuerim sectatus: Excusabor tamen facilis: Nec enim stylum hujus illiusve judicii describere animus fuit, quod in foro versatissimis relinquo lubens; sed quæ apud Doctores sparsim de stylo Curiaë tractata, illa colligere, ac in ordinem redigere, imò haud raro ad certa principia revocare volui. Hoc vero & Academicis Exercitiis posse expediri, nullus dubito. Quod si tamen non ubivis rem acu tactam videris, veniam ætati meæ, discendi cupidæ, cui ob confusa Doctorum in hac materia principia labi-
 facillimum fuit, largieris. DEUS secundet
 progressus!

CAP.



CAPUT I.

De Descriptione Styli Curiae Nominali & Reali.

SUMMARI A.

- | | |
|---|---|
| <p>1.2. An vocabulorum naturalis sit significatio?</p> <p>3.4.5. Affirmativa rejicitur ob rationes adductas.</p> <p>6.7. Significantium Vocabulorum Origine Viris prudentibus maxime adscribitur.</p> <p>8. Horum evolutionem suadent Logici.</p> <p>9.10. Quod approbatur.</p> <p>11. Et à Jctis verborum rationem habitam fuisse ostenditur.</p> <p>13. Vocabuli styli derivatio.</p> <p>14.15.16.17.18.19. Ejus significationis varia extensio.</p> <p>20. Derivatio à Stylando improbat.</p> <p>21. seqq. Ambiguitas Vocabuli Styli.</p> <p>26 27. Explicatur phrasis, stylum pro-
scriptionis incurrere.</p> <p>28. Significatio Vocabuli styli, quae hujus est loci.</p> <p>30.32. Vocabulum Curiae unde descendat.</p> | <p>33. seqq. Vocabulum Curiae quam variè accipiatur.</p> <p>39. & seq. Stylus Curiae quomodo per alia vocabula synonyma effertur.</p> <p>43. Definitio Styli Curiae.</p> <p>44. seqq. Ejus genus defenditur.</p> <p>53. Stylum non pertinere ad causarum decisionem contra Panormitan. asseritur.</p> <p>54. Nec extendi posse ad negotia extrajudicialia contra Angel. Aretin. remissivè.</p> <p>55.56. Differentia styli curiae unde desumpta.</p> <p>59. Mores & consuetudo an unum sint idemque.</p> <p>60. Consuetudo & Mores pari ratione à Stylo Curiae differant.</p> <p>61. Usus quid & quomodo à stylo curiae discrepet.</p> <p>62. Quae sit differentia inter observantiam & stylum Curiae.</p> <p>63. Quid Ritus.</p> |
|---|---|

1 **V**Im vocibus inesse naturalem & earum significa-
 2 tionem atque articulationem ipsa rerum significatarum
 & hominis natura institutam esse, contra Hermoge-
 nem asseruit Princeps ille Philosophorum Plato. *Keckerm. Syst. Log. sect. 1. Lib. 1. cap. 1. n. 30.* Idem sensisse,
 Nigidium in grammaticis suis commentariis testis est *Aulus Gellius*
 in *Noct. Attic. lib. 10. c. 4.* Qui sententiam suam probaturus, exempli
 loco voces quasdam producit, in quibus naturalem aliquem spiritus
 & oris gestum notare satagit.

3 Verum, ut ut hæc sententia Authoritate satis eximia nitatur,
 4 eidem tamen subscribere, non permittunt rationes in contrarium,
 prægnantissimæ. Si enim voces nobis rebusque forent naturales,
 fieri aliter non posset, quam ut una omnes uteremur lingua & sermo-
 nis genere, nec unquam mutationem paterentur voces & vocabula,
 cum naturalium hæc sit proprietas, ut nec varientur, nec mutantur.
 5 Porro sequeretur ex hac hypothese, quod quilibet absque ullo nego-
 tio ad linguarum notitiam pervenire posset, nec opus haberet, ut tan-
 to labore vocum articulationem atque flexionem addisceret; facillime
 enim discitur, ubi natura magister est. Quod utrumq; tamen ex-
 perientia contraria satis superq; refutat.

6 Quanquam id negari non possit, dari nomina quamplurima,
 7 quæ rerum naturam multum exacte depingunt. Cum enim Ono-
 matheia virorum sapientum praxis sit, his vero intimior ad naturæ
 penetralia pateat aditus, hinc factum est, ut illi præ cæteris nomina
 rebus congruentia aptarint, easque denominarint partim à materia,
 partim à fine, partim ab effectibus & proprietatibus, aliisque chara-
 cteribus, quibus res illæ naturam suam à cæteris diversam repræsen-
 8 tarunt. Hanc vocum vim atque virtutem præprimis notarunt Lo-
 gici, ut propterea Etymologiam vocis & ejus Evolutionem omni-
 bus sedulo commendent, tanquam primum intelligendi principium.
Keckerm. Syst. Log. sect. 2. cap. 1. num. 30. Adeo quidem, ut sine no-
 minis explicatione rem velle cognoscere, esse tempus perdere, expref-
 9 se asserat ex aliorum mente prædictus Author *loc. cit. num. 40.* Quod
 præsertim in nominibus, quæ cultior ætas imposuit, attendi mere-
 tur. Nomina enim, quæ primis temporibus aliis rebus imposita,
 postea eleganti quadam ratione, qua interiora rei ipsius exprimeren-
 tur

tur sola voce, ad res alias traduxere; ut hinc omnino operæ pretium sit, non saltem vocem ipsam ejusque originem, sed qua ratione ad alias quoque res extensa, penitus considerasse. Sæpius enim non tantum mutantur verba, sed & eorum significatio in alium usum transfertur. *Petr. Salazar. Tr. de Us. & Consuet. cap. 1. num. 1.* Hinc à **11**
JCtis nostris verborum rationem habitam fuisse innumera pene Juris nostri ostendunt loca. *Vid. L. 1. pr. ff. de J. & J. L. 1. §. 1. ff. de Pact. L. 51. pr. ff. ad L. Aquil. L. 1. pr. ff. de furt. §. 1. in f. l. de Interdict. §. 2. J. de Tutel. L. 49. ff. de V. S. & alibi passim.*

Ex horum vocabulorum numero cum etiam præsens disputa- **12**
tionis inscriptio duo exhibeat, non inutile erit nec alienum à proposito nostro eorum radices, unde enata, inquirere & quomodo aliis quoque rebus significandis imposita sint ostendere. Quod autem vocem, Stylus, attinet, ex græca radice eam profiliisse, confitentur omnes. *Στύλος* enim à *στῆναι*, *στημι* deducitur, quod idem denotat, ac **13**
facio stare, Inde *σύλος*, columna dicitur, seu fulcrum ædium. Quo **14**
sensu ad Germanos quoque in Saxonia inferiori vocabulum transiisse videtur, *der Stiel des Hauses* / quæ appellatio apud illos haud infrequens. Et pari significatu in sacra quoque pagina styli vocabulum occurrit. Apostolus enim *1. Timoth. 3. v. 15.* Ecclesiam appellat **15**
σύλον καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας columnam scilicet ac firmamentum veritatis. Quanquam hoc casu magis per Metaphoram & extensionem quandam stylus de Ecclesia dicatur. Sicut & pari extensione **16**
de personis idem asseritur, *Galat. 2. v. 9. οἱ δοκῶντες σύλοι εἶναι.* Postea **17**
ulterius extensum styli vocabulum, ita ut etiam graphium seu instrumentum scriptorium denotaret. Cujus extensionis rationem à similitudine cum columna seu statua deductam puto. Erat enim **18**
Stylus scriptorius instrumentum oblongum, quod ab una parte ad scribendum in acutum desinebat, ab alia ad scripta delenda in latum exhibat. *Guid. Pancirol. Thesaur. Var. Lect. Lib. 1. cap. 28. post princip.* Quod idem quoque exprimit *D. Augustinus d. vera Relig. cap. 20.* Ubi **19**
hæc habet: *Stylus ferreus alia parte qua scribamus, alia qua deleamus à fabro factus est, & in suo genere pulcher & ad usum nostrum accommodatus &c.* Unde merito explicationem recipiunt versus apud *Horatium Lib. 1. Satyr. 10.*

*Sæpe stylum vertas iterum que digna legi sint
Scripturus.*

i. e. si

i. e. si quæ parte styli acutâ scripseris, quæ minus accurata videntur, verte stylum, & parte altera, quæ lata est, dele, donec lectu digna literis mandaveris. Tabulis enim cera illitis ad scribendum olim utebantur, in quibus scribere quædam, ac stylo iterum delere, facile erat, quæ tabulæ varii coloris fuere, aliæ lutæ, aliæ viridis, aliæ crocei, aliæ purpurei coloris, de quo pluribus vid. *Alexand. ab Alexandr. Geneal. dier. lib. 2. c. 30. Guid. Pancirol. d. l.* Inde apparet ridiculam esse derivationem *Rech. de Curt. Tract. de Consuet. in pæfat. n. 27. in fin.* ubi stylum à stylando, à stylando verò stylicidium *L. si stylicidii ff. Quemadm. Servit. amitt.* deducit. Sed stillare & stylare differunt; Illud latinum est, & inde stylicidium denominatum. Hoc verò Latinis ignotum, quanquam ab Interpretibus Juris aliquoties adhibitum, quando stylum curiæ à Judice stylatum esse dicunt. *Jodoc. Damhoud. Prax. Civil. cap. 150. num. 4. Barthol. Bertazol. Tr. de Clauss. instrument. Claus. 4. Gloss. 39. num. 1.* Quorsum Germanorum illud spectat einen Brieff stylisiren.

21 Ex his vero ambigua vocis significatio apparet manifestò Nam
 (1.) ut jam ante dictum, ex prima vocis impositione columnam seu
 22 statuam denotat. (2.) Instrumentum literis formandis destinatum, quo sensu & in Jure nostro capitur, in *L. si quando 3. C. bon. vacant. Ibi, diligens stylus sigillatim omnia adscribat.* Sic eodem sensu dicitur in *L. Nullus 2. C. de exhib. & transmitt. reis* quod accusator non sit audiendus, nisi is in pœnam reciproci *Stylo trepidante* recaverit, i. e. adhibita summa deliberatione, seu, ut sopita ira, & per hæc spatia mentis tranquillitate recepta ad supremam Actionem cum ratione veniat atque consilio, sunt verba Constantini Imp. in *L. quodam 9. C. Theodos. de Accusat. & inscript.* (3.) Capitur pro recepto modo & forma scribendi dicendique, die *Manier zu schreiben.* Vid. *Joseph. Gibalin. de scient. Canon. & Hieropolit. lib. 9. c. 4. n. 1.* Hinc Ciceroni Oratio Attico stylo scripta dicitur. Et ex stylo cognoscitur Autor *Petr. Rebuff. ad Constit. Gall. Tom. 3. de Consuet. Artic. 2. Gloss. 13. n. 4.* Huc quoque Imp. Constantini assertum spectat in *L. 1. C. de SS. Eccles.* quod supremæ voluntatis liber sit stylus i. e. quod licentia morientibus danda sit voluntatem suam ultimam libere quibuscunque verbis exprimendi; quæ recepta forma scribendi interdum ad certum judicium, Tribunal vel Curiam restringitur. Unde stylus Curie dicitur, item stylus Ecclesie Romanæ *c. Venerabilis 8. X. de Confirmat. Util. & inutil.*
 Adde

DE DESCRIPTIONE STYLI CURIAE &c.

Adde *c. quam gravibus. X. de Crim. fals. (4.)* Accipitur etiam pro exercitio
 scribendi. Quo sensu *Cicero lib. 1. d. Orator.* dicit, quod stylus sit opti- 24
 mus dicendi effector atque magister. (5.) Capitur pro qualitate ac mo- 25
 do condemnandi, aut pro sententia, secundum *Rebuff. d. Gloss. 13. n. 5.* ut
 apparet ex *L. fin. C. quares ven. non poss.* Ubi Stylum proscriptionis quis
 incurrere dicitur, quæ phrasis occurrit iterum in *L. Si quis 9. pr. C. de bon.*
proscript. L. 15. C. Theod. eod. Cujus verus sensus hic est. Si quis crimen 26
 tale contraxerit, quod ex stylo seu consuetudine vel qualitate condem-
 nationis proscriptionem mereatur; Ut eapropter stylus idem in dictis
 textibus sit, quod qualitas condemnationis, juxta legem *Nullum 7. C. Theod.*
de pen. quæ quidem Lex in *Cod. Justinian:* non reperitur: Facit tamen 27
 & huc *L. 7. pr. Cod. Justin. de bon. proscript.* ubi notanter dicitur: Si quis
 pro qualitate delicti stylum proscriptionis incurrerit, i. e. Si delicti hæc
 qualitas sit, ut ex stylo recepto, seu forma recepta, proscriptio sit infli-
 genda. *Add. L. si qui, iii. C. Theodos. eod.* ubi vocabulum formæ hoc signi-
 ficatu ponitur. Quando itaque in *L. 13. C. Theodos. d. 1.* dicitur simplici-
 ter, qui gladio acerbiorum stylum passi, proscriptionis vocabulum
 subaudiendum putamus cum *Jacobo Godofred. Comment. ad Cod. Theodos.*
d. L. 13. Quæ ipsa de vocabulo styli ejusque varia acceptione notasse 28
 sufficiant, ex quibus facile patet, nobis tertio potissimum modo styli vo-
 cem in præsens capi. 29
 Sed quia duplici vocabulo materiæ præsentis titulum exhibuimus,
 scilicet de stylo curiæ, operæ quoque pretium erit, ut Curia vocabulum,
 antequam stylum Curia describamus, explicatum deimus. Illud vero 30
 quod attinet, à Latinis originem suam traxisse, non est dubium, cum ab
 omnibus fere à Cura ratione significantissima derivetur. Cura enim ut
 animum angit & cor hominis rodit, sic etiam anxia & summa cura Rei-
 publicæ salutem procurare oportet, Curiales. Quod ipsum optime 31
 adverterunt Imperatores Arcadius & Honorius, severissimam propterea
 in illos curiales pœnam statuentes, qui, ut curiæ muneri sese subtraherent,
 civitatem relinquebant & rus habitabant, confiscato sc. fundo, quem
 Civitati prætulerant *t. t. C. si curial. relict. civit. rus habit. mal.* Aliam, 32
 vel potius parilem derivationis rationem suppeditat Pomponius, *L. 2. §.*
2. ff. de O. J. qui propterea Romulum, primum Romanorum Regem, 30
 illas Populi Romani partes Curias appellasse perhibet, quod Republicæ
 curam per sententias partium earum expediverit. 33
 Ex his itaque prima & apud Historicos Romanos frequentissima
 V. I. D. XXIII. B vocis

vocis Curia patere potest acceptio, quatenus nimirum denotare eam legimus 30. illas Populi Romani partes, in quas à Romulo divisus erat
 34 aucta ad aliquem modum civitate. In alia porro significatione nobis
 exhibetur vocabulum illud in *L. 1. C. Theodos. de Consulibus*, ubi Curiam
 significare legimus Senatus & amplissimi ordinis confessum atque Maje-
 35 statem; in qua significatione etiam occurrit in *L. 38. §. 10. ff. de poenis* &
 in *L. 3. ff. quod cujusc. Universit. nom.* Alias etiam accipitur pro ædibus sa-
 cris, in quibus res divinas Deorumque cultus peragebant sacerdotes,
 Rosin. *Antiquit. Roman. lib. 6. cap. 2. lit. A.* Quemadmodum hodie commu-
 niter pro ædibus publicis capitur, in quibus Senatus convenire solet,
 36 quæ Germanis dicuntur *das Rathhaus*. In Jure Feudali Curia seu
 Curtis (hæc enim synonyma sunt, ut videre est in *2. feud. 51. pr.*) dicitur
 Aula sive domus Domini, quatenus nimirum sepibus & muro circum-
 37 data est, cum ædificiis, in ea positis Anton. *disp. Feud. 1. th. 4. lit. F.* Quan-
 quam in acceptione latiori ex usu Dominorum totum domini territo-
 rium designet & omnes res ac reditus illuc pertinentes, Anton. *d. l. Du.*
Struv. Syntagm. Feudal. cap. 4. th. 28. n. 6. Quo sensu Pares Curia dicun-
 tur Convasalli ejusdem domini, in eodem territorio feudum habentes,
 Mynsing. *Cent. 4. Obs. 89. in f.* Qui etiam Pares domus appellantur
 1. *Feud. 11.* Item Pares de domo domini, *1. F. 26. §. si quis.* Pares Curtis
 38 1. *Feud. 4. §. item si vasallus.* Demum generaliter capitur pro quovis
 iudicio, foro vel Tribunali. Sic Curia Parisiensis, Spirensis &c. inde
 appellantur, quæ ultima appellatio huc quam maxime spectat, ut hinc sty-
 lus Curia receptam in certo iudicio scribendi procedendiye consuetudi-
 nem designet.
 39 Consideratis separatim hujus thematis vocabulis, non abs re erit
 ejusdem nomina synonyma paucis evoluisse; dicitur autem in *L. 4. C.*
de Sentent & interloc. Solitus iudiciorum ordo & in *L. 12. §. 5. C. de R. C.*
Observatio judicialis, in L. 11. C. de Injuriis. Mos iudicorum, & §. 6. & 7.
 40 *Inst. de satisdat.* Iudiciorum Usus & observantia. Non minus signi-
 ficanter stylus Curia appellatur in *Reces. Imp. de Anno. 1570. §. damit aber/*
 & §. und aus/ ein löblich hergebrachtter stylus, und ein einhelliger Brauch
 41 und alter stylus. Eleganti etiam & emphatico nomine stylum Curia
 insignire voluit *Wilhelm Anton. de Freundeb. in Tr. de Rescript. Morat. Tit. 7.*
Conclus. 47. n. 15. dum illum esse dicit instar ferruminationis, illum esse Ty-
 42 rannum, qui Legem & Constitutiones vincat. Interdum etiam stylus
 Camera, stylus Rotæ, stylus Tribunalis appellatur, sed hæc eodem reci-
 dunt,

dunt, cum cujusvis iudicii stylus, quomocunque iudicium nominetur, nobis sub nomine styli Curia veniat.

Hiscæ majoris declarationis causa præmissis, stylus Curia defini- 43
ri potest, quod sit *Consuetudo judicialis, determinans ordinem & modum procedendi, in iudicio observandum.*

Definivimus stylum Curia per consuetudinem, motitam Autho- 44
ritate quam ratione. Ex multis Authoribus *Magnif. atque Celeberrim.* 45
Dn. Brunnemannum producimus, qui stylum Curia vocat speciem consuetudinis, *Exercit. 1. ad J. Tit. 2. §. 9.* ut sic tacite huic tribuat genus consuetudinem scilicet. Subjungimus & *Bartol. expresse in repet. in L. de quibus col. 4. vers. ultra hoc, n. 10.* asserentem, quod stylus Curia sit consuetudo; Add. *Gibalin. scient. Canon. & Hierop. lib. 9. c. 4. n. 1.* *Rebuff. ad Constit. Gall. Tom. 3. de consuetud. Artic. 2. Gloss. 13. n. 9.* *Barthol. Bertazol. de Clausul. Instrumental. Claus. 4. Gloss. 36. n. 1.* *Bachov. ad Treutler. vol. 1. Disp. 1. th. 9. lit. A. in fin.* Et hoc quidem satis apposite: Cum enim, 46
Consuetudo secundum Regulas & Logicorum Leges, stylo Curia omnia sua prædicata essentialia tribuat, & in reliquis etiam generis naturam ostentet, merito hinc illam pro suo genere agnoscit. *Angel. Aretin. ad §. ex non scripto n. 5. J. de J. de N. G. & C.* Hinc est, quod rectissime de 47
stylo Curia dici possit, quod sit jus non scriptum, non quidem ac si de essentia styli sit, esse non scriptum, sed dicitur sic à potiori, quia ut plurimum in scripturam redactus non invenitur. An tamen scribi possit, 48
ita, ut styli nomen nihilominus retineat, de eo inferius commodiori loco agendi erit occasio. Porro sicut consuetudo tacito utentium consensu 49
introducitur, ita quoque stylus Curia pedetentim in iudiciis recipitur, ubi vero receptus non secus ac consuetudo jus facit, omnino à iudice sequendum. *Panormitan. ad c. ex Literis II. n. 6. X. de Constitut.* Sed hæc ad effectum styli Curia spectant, quem speciali exhibebimus capite.

Præterea stylum Curia esse judicialem consuetudinem diximus, ex 50
hac ratione, quod vox consuetudinis, solitarie posita, genus, styli Curia proximum, non explicuisset. Latius enim patet consuetudo & in om- 52
nibus negotiis ea locum habere potest. Hinc respectu Objecti Consuetudo vel judicialis dicitur vel extrajudicialis. Hæc in negotiis omnibus extrajudicium geri solitis locum habet: Illa vero saltem in Actibus judicialibus occupatur. Actus vero judiciales itidem non sunt uniformes. 53
Quidam enim Processuum normam & formam respiciunt, quidam vero

- 54 Decisionem ipsam controversiarum, in judiciis occurrere solitarum. Ad illam classem proprie stylus Curiae spectat, non vero ad causas decidendas, quod tamen vult Panormitan. *d. l.* Sed & hoc in capite de Objecto Styli Curiae exponendum, ubi simul respondendum *Angel. Aret. in §. Ex non scripto n. 5. Inst. de J. N. G. & C.* statuenti, stylum curiae non magis ordinem Judiciorum quam Extrajudiciorum concernere; Cujus contrarium ex solo Epheteto Curiae evincitur, uti ipse Aretinus in praecedentibus fatetur, & hinc ad sola judicialia stylum nostrum referendum esse constat. *Conf. Joseph. Ludovic. decis. 96. Part. 2. n. 6. seqq.*
- 55 Differentiam styli Curiae desumere libuit ab objecto, quod concernat Ordinem processus in judicio, eidemque modum praescribat, quo causae in judicio proponendae, quibus solennitatibus scripta judicialia conficienda & coetera ad Processus Continuationem necessaria expedienda *Dn. Blum. Process. Camer. Tit. 2. n. 21.* Hinc dum *Bartol. in L. de quibus n. 10. ff. d. LL.* stylum describit Consuetudinem, quae respiciat ordinem loquendi, scribendi vel procedendi in judicio, non dissentit à nobis; haec omnia enim ad ordinem & modum, procedendi spectant, prout inferius circa objectum Curiae demonstrandum; ubi insimul, an Stylus ad solam
- 56 scribendi rationem spectet, expeditum. Partim vero ab Effectu, quod stylus Curiae formam procedendi determinet, *Gibalin. in scient. Canon. & Hieropol. l. 9. c. 4. n. 2.* & ubi semel hic stylus introductus, pro Jure merito observandus sit in eo judicio, ubi viget. *Finckelth. Observat. 14. n. 14.*
- 57 Hinc etiam respectu hujus Effectus, stylus Curiae describi potuisset, quod sit jus Curiae non scriptum *Dn. Jac. Blum. Process. Camer. tit. 2. num. 19.* certam formam procedendi in judicio constituens. Sed genus saltem ut remotius consuetudine, impedimento fuisset. Quae omnia ex subsequentibus clariora evadent.
- 58 Ex his quoque, quanam differentia inter Stylum, Mores, Usum, Ob-
- 59 servantiam & Riturum subsit, poterit patere. Mores & Consuetudinem unum idemque esse dicit *Bartol. in L. de quibus 31. n. 10. ff. de Legib.* Quanquam alias ex moribus Consuetudo inducatur, est enim jus, quod ex Usu & moribus resultat. *Dn. Hahn. ad Wesenb. Tit. de Legib. Verb. Consuetudo. num. 9.* Consuetudinem tamen magis esse morum causam & ita mores constantius ac firmitus quid in usu juris significare, vult *Bachov. ad Treutl. vol. 1. disput. 1. th. 9. lit. A.* Qua ratione itaque stylus curiae à consuetudine, pari
- 60 respectu & à moribus differt. Usus vero magis facti est, ex quo consue-
- 61 tudo demum vel etiam stylus Curiae resultat. Est enim Usus consuetudo
- non.

nondum induct. *Roch. de Curr. de consv. sect. 3. n. 2.* cum hæc per usum longævum inducatur. *Petr. Raven. de consvetud. sect. 3. n. 49.* Observantiam vero parum à Stylo differre agnoscit *Bachov. cit. loc.* quanquam & hic differentias quasdam sed saltem ratione probationis formet. *Dn. Bluhm. Process. Cameral. Tit. 2. n. 22.* in effectu tamen vix ulla differentia suberit, *Excellentiss. Dn. D. Rhetius Comment. ad Jus Feud. Proem. verb. consvetudines n. 9.* nisi observantiam stylo curiæ forte latiore dixeris, cum & extrajudicialibus negotiis observantia applicetur. Riturum indigitare usum vel observantiam circa solennitatem actus vult *Roch. d. Curt. de Consvet. Proem. n. 28.* *Jacob. Menoch. de Præsumpt. lib. 2. præsumpt. 8. n. 6.*

CAPUT II. De Causa Efficiente Styli Curia.

SUMMARIA.

- | | |
|--|--|
| 1. Continuatio Tituli. | 10. Explicatur phrasis Dd. habere potestatem legis condendæ. |
| 2. Inter Personas Stylum Curiaë introducentes primo loco ponunt Dd. Principem. | 11. Quando alii iudices vel Magistratus secundum communem Dd. opinionem stylum Curiaë introducere possint. |
| 3. Princeps circa stylum Curiaë disponere potest Lege publica. | 12. Stylus Curiaë secundum veriore sententiam, ab omni iudice introduci potest. |
| 4. Sed sic degenerat in Ordinationem iudicii, à qua multum differt. | 13. Iudex contra stylum iudicans litem facit suam & puniri potest. |
| 5. Consuetudo qua talis à Principe non potest introduci. | 14. In iudice stylum introducente non requiritur potestas statuum concedendi. |
| 6. Applicatur hoc ad stylum Curiaë. | 15. An stylus curiaë ex solius iudicis actibus possit introduci, an vero actus totius iudicii requirantur. |
| 7. Explicatur quid Stylus Principis significet. | 16. 17. Explicatur Bertazol. locus. |
| 8. An scientia & conniventia Principis mutet styli naturam? | 18. 19. Personæ extrajudiciales stylum Curiaë non possunt introducere. |
| 9. An ex opinione Dd. tantum iudex, qui habet potestatem legis condendæ, stylum Curiaë introducere possit. | 20. Idem |

20. Idem dicendum de Advocatis & Procuratoribus.

21. Ex Stylo dignoscitur Author.

22. Certo tamen respectu Advocati &

Procuratores stylum C. introducere possunt.

23. Idem etiam de Notariis, sub distinctione tamen, dici potest.

- P**Ræmissis illis, quæ ad declarandam Styli Curia denominationem & descriptionem facere videbantur, hoc Capite & in sequenti modus constituendi vel introducendi stylum Curia, ejusque necessaria requisita exponenda. Ut vero procedamus ordine, hoc capite *Causam Efficientem*, seu personas stylum Curia introducere valentes considerabimus, sequenti vero capite requisita vel formam introductionis subjecturi. Personas, quod attinet primo loco se sistit *Princeps*, de quo, an & quomodo Stylum Curia possit introducere, videndum; Sæpius enim mentio fit apud Doctores *de Stylo Principis*, dum pro regula tradere solent, quod stylus Principis idem operetur ac consuetudo Universalis. Alexand. Tartagn. *lib. 3. Conf. 39. n. ult.* Barthol. Bertazol. *Tract. de Clausul. instrumental. Claus. 4. Gloss. 36. n. 5.* Cardinal. Tusch. *Pract. Conclus. Tom. 7. lit. S. Conclus. 694.* Roch. *de Curte de consuet. in præfat. n. 27. in fin. & sect. 4. n. 48.* Et quod stylus Principis jus faciat, inter omnes Jacob. Menoch. *consil. 246. n. 59.* De eo quidem nullum est dubium, quod Princeps disponere de stylo Curia possit; Cum enim circa legem Universalem in sua Republica disponere de quocunque negotio valeat, *L. 1. ff. de Constit. Princip.* & ipsi soli inter æquitatem & jus strictum medium quoddam justa interpretatione eligere liceat, *L. 1. C. de LL* utique etiam circa illa, quæ modum ordinandi & prosequendi Processum Judicarium concernunt, disponere valebit, Lege publica scilicet stylum Curia moderando, determinando, abrogando; quod ipsum tot judiciorum Ordinationes abunde testantur, ubi omnia fere, quæ ad modum procedendi spectant, præscripta & circumscripta videre licet. Verum hæc ipsa styli Curia nomine proprie venire non possunt. Multum enim ordinationes judiciorum à stylo Curia differunt. Illæ siquidem vel statutorum vel Legis nomine veniunt: Hic vero ex consuetudine dependet, ut sic eadem hic, quæ jure communi inter Legem & consuetudinem est, differentia obtineat. Jam vero certum est, Principem non posse consuetudinem quæ talem introducere. Si enim Princeps actum quendam contra Legem forte exercent, tunc aut vult eum actum

actum ita observari in posterum, aut non. Priori casu non Consuetudo
introducitur sed potius Lex fertur à Principe: Quotiescunque enim de-
clarat Princeps voluntatem suam de actu in posterum taliter vel taliter
observando, toties hoc Legis auctoritatem habet, *L. 1. pr. ff. de constit.
Princip. & §. 6. Instit. de J. N. G. & C.* Posteriori casu si nolit illum actum
in posterum observari vel in consequentiam trahi, consuetudo in futu-
rum impeditur, & actus, ab aliis ad imitationem Principis gesti, pro vi-
tiosis reputandi, cum fundamento, cui innitantur, destituantur. Idem 6
hoc ad stylum Curiae applicasse facile est. Princeps enim si stylum so-
litum mutaverit & novum receperit, novus ille stylus non pro consue-
tudine judiciali, sed pro lege à Principe praescripta & in modo proceden-
di, in iudicio observanda, aestimandus erit. Quamvis verò adhuc sty-
lus dici soleat, id tamen magis populari sensu fit, quam juridico, quem
in praesenti saltem attendimus. Ut autem liberemus Doctores, qui de 7
stylo Principis crebrius loquuntur, dicimus; stylum Principis esse con-
suetudinem, in suprema Principis curia in modo procedendi vel scriben-
di receptam. Suprema vero Curia nobis est, ubi sub nomine Principis
jus dicitur. Hic, si sine speciali voluntate Principis nova scribendi pro-
cedendive ratio recipiatur, pro stylo Principis id merito poterit haberi.
Nec statim degenerat in Legem, ut ut Princeps hunc stylum novum re- 8
sciscat, & postea vel connivendo, vel alia ratione hunc stylum approbet.
Consuetudo enim, in quam Princeps consentit, naturam suam non exuit,
sed salvam retinet. Sic approbat Princeps stylum, uti est, inde verò
eundem non statim mutat ac alterat, nisi de hac Principis voluntate con-
stiterit aliunde. Sicuti hoc de consuetudine, à Principe approbata,
vel in scripturam redacta, asserunt doctores, *Sonsbeck. de feud. Part. I.
n. 25. Henric. Zæf. Comment. ff. de LL. n. 86. Ludwell. Synops. Feudal. c. 1.
p. 10.* Qua de re inferius plura occurrent, ubi de stylo, in scripturam
redacta, dicendum.

Jam ad alias personas, stylum Curiae inducere valentes, progre- 9
diendum, ubi, an omnes Judices stylum introducere possint addendum.
Hinc autem communem Doctorum opinionem advertimus, quod stylus
Curiae possit introduci, à majore iudice, qui habet potestatem legis con-
dendae, *Aymo Cravett. de antiq. tempor. Part. 4. in princ. n. 36. Jacob. Me-
noch. de Praesumpt. lib. 2. praesumpt. 8. n. 9. Bartol. in L. de quibus 32. ff. de
Legibus n. 10. Cardinal. Tusch. Pract. Conclus. lit. S. Conclus. 692. n. 1. Joseph.
Ludovic. Part. 2. decis. 96. n. 8. Alexand. Tartagn. Lib. 2. Consil. 36. num. 10.
Mascard,*

Mascard. *de probat. Vol. 1. Conclus. 423. n. 35.* Sed ita vix alium per judicem, quam Principem ipsum, intelligere poterunt præfati Doctores. Nulli enim alii, nisi tantum Principi Nomothetica in Republica competit potestas, quæ Judicibus omnibus, etiam in Archidicasteriis, denegata. De principè verò quid sentiendum, jam antea dedimus explicatum. Sed fortè non ita strictè Legis significatio dictis Doctoribus venit, cum potius legem pro statuto eos accepisse, probabile sit, ut hinc eos ita sensisse reputandum: Quicumque judex facultatem statuendi, seu statutum condendi habet, ille quoque stylum inducere valebit, qua ratione se ferè explicat Alexand. *dict. Consil. 36. n. 10.* Ubi illi magistratui stylum inducendi potestatem denegat, qui non habet potestatem derogandi Legi seu condendi statutum contra jus commune: Ut hinc stylus ab illo, qui statuendi facultatem habet, propterea dependere debeat, quia statuti vel Legis vim stylus, semel receptus, obtinet, *Petr. Rebuff. ad Constit. Reg. Gall. Tom. 3. de Consuetud. Artic. 2. Gloss. 13. n. 22. Felin. in c. Ex parte n. 16. verb. Stylus X. de Rescript.*

II Judices vero alios vel Magistratus quod attinet, tunc demum ipsis concedunt facultatem inducendi stylum (1.) si stylus non sit contra Legem, sed tendat ad declarandam Legem, cum non possint tales Magistratus aliquid inducere contra jus commune, Alexand. *d. Consil. 36. n. 10.* Et hunc stylum interpretativum vocat Roch. de Curt. *d. consuetud. in præfat. n. 27.* (2.) Si stylus sit quidem contra Legem, sed tamen in notitiam populi pervenerit, ita enim consuetudinis vim habet & hoc respectu toleratur Cardinal. Tusch. *lit. S. Conclus. 692. n. 3.* & quos citat Marc. Anton. Rovescala *in Schol. ad Alexandr. Cons. d. l.* (3.) Si Stylus tantum concernat modum & ordinem procedendi: tunc enim valet, licet sit contra jus, cum hoc casu de modico agi dicatur præjudicio, Tusch. *d. Concl. 692. n. 3.* Cravett. *de Antiquit. tempor. Part. 4. pr. n. 36.* Bartholom. Socin. *lib. 4. Consil. 36. n. 2.* Alia enim ratio est, si de toto causæ præjudicio vel negotii, principalis agatur. Joseph. Ludovic. *P. 2. decis. 96. n. 30.* (4.) Si stylus ab inferiore judice introductus à Superiore confirmatus fuerit. Natta *in addit. ad Alexandr. dict. Cons. 36. in fin.*

12 Ita ergo diversimode opinionem suam limitant ac restringunt DD. quando facultatem inferiori judici vel Magistratui stylum Curiaë introducendi largiuntur. Nos breviter ita dicimus. In omni judicio stylum Curiaë separatim introduci posse, non attento, an judex potestatem Legem vel statutum condendi habeat, an non. Nec enim capimus hic stylum

Stylum pro Ordinatione judiciaria expressa, modum procedendi determinande, ita enim approbanda illorum foret sententia, qui judicem superiorem pro Causa Efficiente styli Curia venditant. Hoc enim judici inferiori permissum minimè est, stylum hactenus receptum immutare, vel contra eum pronunciare, alioqui enim litem suam faceret. *Francisc. Viv. decis. Neapolit. lib. 2. decis. 297. in fin.* perinde ac si contra consuetudinem judicaret, ut hinc etiam à superiore puniri posset, *Petr. Rebuff. ad Constit. Gall. de Consuet. art. 2. Gloss. 13. n. 27. Barthol. Bertazol. Claus. 4. Gloss. 36. n. 5.* Sed capimus hic stylum Curiae propriè, prout illum in capite præcedenti descripsimus, & observantiam quandam seu Consuetudinem judiciale, modum procedendi respicientem, per illum intelligimus. Sicuti itaque Consuetudo etiam à Subditis in Statu Monarchico induci potest, uti verior est opinio, quam probat *Ludwell. in §. 9. Instit. de J. N. G. & C. in fin. Wessenbec. Paratitl. ff. de LL. n. 9.* Ita etiam in judicio inferiori stylus curia seu consuetudo Judicialis introduci poterit, si requisita illa, in subsequenti capite exponenda, adfuerint. Nec præcisè potestas condendi statutum necessaria erit, sicuti perinde non requiritur hæc potestas in consuetudine introducenda. Quod itaque judex expresse facere nequit, e. g. statutum condere de stylo Curia immutando, vel novo procedendi ordine introducendo, illud tacitè potest, & ex conniventia Superioris.

An autem stylus ex foliis Judicis Actibus introducatur, an vero Actus totius judicii concurrere debeant, forte dubitari poterat? Et putamus, foliis Judicis factum sufficere, si scilicet illud in notitiam totius judicii vel ceterorum Assessorum pervenerit, hi vero vel idem postea imitati fuerint, vel tacendo approbarint. Sicuti enim in consuetudine necessarium non est, ut integer populus ejusmodi Actus gesserit, sed sufficit, ab aliquibus talia celebrata fuisse, quæ in plerorumque notitiam transferint, inde enim Populi consensus & approbatio jam tum elicitur, *Roch. de Curt. de Consuetud. sect. 4. n. 47. seq.* modo in illorum notitiam, actus pervenerint, qui ad contentiendum habiles sunt, *Petr. Ravenn. in Enarrat. Tit. d. Consuet. sect. 3. n. 57.* Ita quoque in stylo Curia, in judicium aliquod introducendo, idem obtinebit, modo ceteri in judicio Assessores notitiam Actuum consecuti fuerint. Et ita intelligo *Barthol. Bertazol. in Tract. Claus. Instrument. Claus. 4. Gloss. 36. n. 1.* Ubi dicit, quod stylus Curia sit jus non scriptum, ab unius judicis voluntate sæpius stylatum, *Add Cynum in L. 2. C. q. sit long. Consuetud. Jodoc. Damhoud. Prax. Civ.*

- Civ. c. 150. n. 4.* Quanquam & hæc intelligi possint de tali iudicio, cui unus solus iudex præest, de quo in Cap. sequenti. Unde & ex contrario colligo, si saltem ab Assessore aliquo iudicii nova vel Citationem vel sententiam concipiendi ratio assumatur, eandemque Iudex postea vel alii Assessores imitentur, sic quoque stylum Curiaë tacite introduci.
- 18 Hoc vero non adeo dubium, à personis extrajudicialibus, seu illis, quæ ad iudicia non pertinent, stylum Curiaë introduci non posse. Quamvis enim aliàs Consuetudo quidem extra iudicium introduci possit, hic tamen diversa ratio est; cum Actus iudiciales hic requirantur & quidem tales, qui ordinem procedendi concernunt, de quibus non disponunt, nisi illi, qui in Processibus in iudicio ventilandis vel dirigendis, occupati sunt. Unde, ut ut Actor & Reus inter Personas Principales iudicii connumerentur, Wesenb. ff. d. *Judic. n. 9.* alia tamen ratio iudicii constituendi est, alia dirigendi. Partes, si iudicandum sit, ne cessariò a desse debent, ut tamen hoc vel illo modo procedatur vel sententia feratur, id partium non est, sed iudicis determinasse. Hinc stylum à Populo vel majore ejus parte introduci negat Cravetta de *Antiq. tempor. part. 4. n. 36.* Cardin. Tusch. *lit. S. Conclus. 692. n. 1.*
- 20 Adhuc vero quaritur, an Advocati & Procuratores stylum Curiaë inducere possint? Nullos certè magis ac hos de stylo Curiaë sollicitos videmus, hinc toties ad stylum Curiaë provocant, & ut in scriptis suis, vel in modo proponendi causas Clientum, stylum Curiaë observent, omnem operam impendunt; Jam verò modus loquendi & scribendi in iudicio etiam ad Stylum Curiaë pertinet, Bartol. ad L. de quibus 32. n. 10. ff. de LL. Petr. Ravennas in *Titul de Consuetud. Sect. 5. n. 13.* Quicquid tamen sit, putamus, posse quidem Advocos singularem Stylum in scribendo & loquendo introducere, sed pro stylo Curiaë non statim habendus, cum
- 21 quisque privatus stylum suum separatim habere possit. Hinc & ex styli diversitate aliquando iudicari solet, hunc vel illum tale scriptum non confecisse, quod in Latinitate dijudicanda familiare est; Unde ex stylo dignosci solet Author, Bald. in L. *Comparationes n. 18. C. d. fid. Instrument.* Rebuff. ad *Constit. Gallia tom 3. d. Consuetud. Artic. 2. Gloss. 13. n. 4.* qui postea in n. 31. de comparatione styli ad docendam falsitatem instrumentorum agit. Et certum quoque stylum mercatores inter se habere dicuntur, qui perinde observandus: Hieron. Marilian. *decis. 51. n. 7.*
- 22 Prosper. Farinac. *Tom. 4. Decis. 566. n. 2.* Si tamen Advocatorum stylus

Stylus iste loquendi & scribendi, modum procedendi in iudicio simul quoque concernat, & Judex vel pronunciando, vel alia ratione voluntatem declarando, stylum illum in iudicio recipiat, Stylus Curiae effici poterit, non tam facto Advocatorum, quam facto iudicis.

Notarii an stylum Curiae inducere valeant, ex superioribus facile 23
decidi potest. Distinguendum tamen foret inter Notarium Iudicii & extraneum: Ille si in Citationibus concipiendis & in aliis Actibus Judicialibus, suo officio incumbentibus, singulari stylo utatur, sciente & patiente Iudice, exinde tandem stylus Curiae, in Actibus similibus imposterum observandus, oriri posset. Sed si de Notario, qui non Iudicii Actuarius, sed Extraneus est, quaeramus, utique ab illo stylus Curiae introduci non poterit. Ut ut enim pro ordinariis Iudicibus habeantur Notarii, in causis, voluntariam Jurisdictionem respicientibus, ubi saepius singulari stylo uti solent; Curiam tamen vel formarum iudicium dum non habent, nec stylus eorum solitus pro stylo curiae habendus, sed potius stylus Notariorum saltem appellandus; Ad quem stylum tamen Notariorum in declarandis & extendendis instrumentis recurritur *Barthol. Bertazol. Clauss. 4. Cloß. 37.* ita ut ex styli Notarii omissione arguatur falsum, *Jacob. Menoch. Consil. 1151. n. 7. & 8.* Quanquam non semper generalis Notariorum Stylus, sed particularis potius hujus personae sit attendendus. *Prosper. Farinac. Decis. Rot. Rom. Tom. 4. Decis. 723. n. 6.* Verum hic stylus hujus loci non est, sed pro privato potius habendus.

CAPUT. III.

De Forma introducendi Stylum
Curiae,

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| 1. Stylus Curiae Lege publica introduci non potest. | 3. Stylus Curiae tacito Iudicis & Assessorum consensu inducitur. |
| 2. Forma introducendi stylum C. patebit ex modo introducendi Consuetudinem. | 4. Convenientia & discrepantia styli Curiae cum consuetudine. |
| | 5. An iudex, qui solus iudicio praestitit stylum |

- stylum Curia possit introducere.*
- 6.7.8. *Affirmatur, rejectis dubiis.*
9. *Assertionis ratio exemplo declaratur.*
10. *Quod Actus ad consuetudinem introducendam requirantur, arbitretur iudex.*
11. *Opinio eorum qui unicum Actum ad Styli Curia introductionem requirunt.*
12. *Stylus Curia quotuplex?*
13. *In stylo interpretativo non requiritur Actuum pluralitas.*
14. *In stylo introductivo duo sufficiunt Actus.*
15. *In stylo Curia abrogativo introducendo Arbitrium iudicis locum habet.*
16. *An in consuetudine precise requirantur Actus judiciales?*
17. *Ad stylum Curia introducendum actus judiciales requiruntur.*
18. *Ut stylus Curia introductus dicatur, an contradictorio opus sit iudicio.*
19. *Clausulae abundantes ex stylo recepto pro necessariis habenda.*
20. *Quantum temporis ad consuetudinem introducendam necessarium?*
21. 22. *Idem tempus in stylo Curia introducendo requiritur, quod in consuetudine.*
23. *An styli Curia introductionem non requiritur scriptura.*
24. *An stylus introductus in scripturam redigi possit?*
25. 26. *An ad styli introducti validitatem confirmatio superioris requiratur?*

I DE Personis, Stylum Curia introducere

valentibus, vidimus in capite præcedenti. Jam formam introductionis ut subjiciamus, restat. Constat autem procul dubio ex illis, quæ in Capite priori diximus, stylum Curia Lege publica vel statuto introduci non posse. Non enim ita propriè styli nomen merebitur, sed pro Lege publica vel Ordinatione Judicaria erit habendus.

2 Dum verò per consuetudinem descripsimus stylum, eundemque tacite introducendum probavimus, forma introducendæ consuetudinis cum introductione styli curia conferenda, ut inde insuper apparere possit, quid inter Consuetudinem in specie sic dictam & stylum Curia intersit.

3 Uti autem ad Consuetudinis introductionem requiritur (1.) tacitus Populi Consensus, si vel imitando vel non contradicendo, atque ita ipso facto actus, ab aliis gestos, probet ac tacito suffragio confirmet. *L. de quibus 32. §. ult. ff. de LL.* Ita in introducendo stylo Curia, iudicis Assessorumque iudicii tacitus consensus est necessarius; si enim ceteri in iudicio imitentur stylum unius, eatenus eundem approbasse & recepisse videntur, ut in posterum pro jure observandus, de quo in capite præcedenti jam dictum. Unde simul diversitas consuetudinis & styli apparet.

4

ret, quod Consuetudo tacito consensu totius Populi vel majoris partis introducatut, non ita stylus *Jodoc. Damhouder. Prax. Civil. cap. 150. num. 6. & 7. Rebuff. loc. citando Glos. 13. n. 13. Petr. Ravennas de Consuetud. sect. 3. num. 50.*

Hic vero hoc dubium incidit; si tacitus Consensus totius Judicii ad stylum introducendum requiritur, quid statuendum de Casu, si iudicio alicui solus & unicus saltem iudex præsit, qui nullo Assessore adhibito jus dicat, an & ab eo stylus Curia possit induci? Hic certè notitia Assessorum & imitatio suffragari facto iudicis nequit, ut hinc nec Iudex solus Stylo introducendo sufficere videatur. Verum, quod de tacito Assessorum consensu diximus, id utique pro ratione materiae substrata & qualitate iudicii, ubi stylus introducendus, intelligendum. Si Iudex sine Assessore jus dicat, quod quidem in multis iudiciis usu venit, ubi saltem Actuarius adhibetur, sic ipse iudicium integrum repræsentat & sicuti sententiam Assessoribus non adhibitis legitimè ferre valet; ita perinde & in stylo introducendo, ut Assessores adsint, necessarium non erit, sed propriis suis actibus stylum inducere potest. Atqui diceres; Non est iudicis immutare stylum, cum pro Lege stylus sit observandus. *Matth. de Afflict. decision. Neapolit. 135. num. 3. Francisc. Viv. Decis. 297. n. 1.* Nec ergò facto suo stylum novum introducere valebit, nisi fortè sit Iudex superior, potestate mutandi ordinem Processus gaudens; Alias enim Iudex stylo sui iudicii hætenus recepto omnino obstrictus est, ut secundum eum iudicare teneatur. *Petr. Rebuff. ad Constit. Gall. Tom. 3. Tract. de Consuetud. art. 2. Glos. 23. n. 1.* Insuper, si tacito iudicii assensu introducendus est stylus, hic nunquam locum habebit introductio; Iudex enim quamvis iudicium integrum repræsentet, facta tamen sua ipse approbando iusta reddere non posset. Sed iterum salva res est, Iudex, etiamsi solus sit, tamen facto suo nudo stylum non introducit, sed accedente lapsu temporis, & scientia illorum, qui causas in iudicio ventilandas & expediendas habent. E. G. stylus forte in iudicio est, quod Citatio omnis debeat insertam habere supplicationem adversæ partis, quæ supplicationis insertio ad tollendum deliberandi spatium utilis est. *Gail. lib. 1. Observ. 51. n. 3. Scacc. de Judic. lib. 1. cap. 32. n. 16. Dn. Brunnemann. Process. Civil. cap. 3. n. 13.* Ille ipse stylus hoc effectu hætenus in iudicio observatus est, ut citatus, ommissa supplicatione, parere Citationi necessum non habuerit, sed tutò emanere potuerit. Iudex, neglecto Stylo hætenus recepto, Citationi Libellum vel supplicationem non inserit; partes

citatae comparent, & litem perinde, ac si supplicatio adjecta fuisset, contestantur: Postea plures ejusmodi actus exercet Judex, nemine ex citatis contradicente. Lapsa hac ratione tempore aliquo, alius citatur omissa supplicatione, qui comparere recusat, Judex ad novissimam Observantiam & ad noviter receptum Curiae stylum provocat, quaeritur, an bene? Et respondemus, quod sic. Judex enim, quamvis stylum priorem expressè mutare non potuerit, potuit tamen tacite per actus in contrarium gestos. Et quamvis hi actus videantur nulli, dum stylo priori repugnant; Citatio enim contra stylum non valet, *Petr. Rebuff. dict. Artic. 2. Gloss. 13. n. 42. Hippol. d. Marsil. singul. 118.* Nullitas tamen haec à litigantibus non fuit opposita, sed potius tacendo approbata. Quamvis itaque prima Citatio, cum omissione supplicationis emissa, contra stylum Curiae fuerit, & ita ipso jure nulla, quia tamen non amplius agitur de primi actus nullitate vel convalescentia, sed de subsistentia alterius actus novi, nullitas prior, quantumcunque efficax & ipso jure inducta, non obstat, quo minus actus novus pro valido reputetur, *arg. L. 1. §. 1. ff. de Legat. 3. Cardinal. Tusch. Practic. Conclus. lit. N. Conclus. 342. n. 37. Barbof. Locuplet. lib. 12. cap. 28. Axiom. 12. Vers. Licet autem. Tiraquell. ad L. si unquam. verb. Revertatur. n. 215. seq. C. de Revoc. donat. Nam nullitas actus non attenditur, quando ita de facto observatur, Adrian. Gylman. Symphorem. Votor. Cameral. Tom. 2. Part. 1. Vol. 6. n. 70. Et alias quoque omnes Processus retrò forent irritandi, quod ne fiat, stylus utilitatis causa sustinendus, Prosp. Farinac. Decis. Rot. Rom. Tom. 1. Decis. 393. n. 4.*

10 (2.) Ad Consuetudinem introducendam requiritur actuum frequentia, ubi tamen in numero actuum determinando admodum variant Doctores, uti videre est apud *Petr. Salazar. de Usu & Consuetud. cap. 7. n. 1. seq.* Tutissima tamen illorum opinio est, qui Controversiam hanc Judicis arbitrio decidendam committunt, *Bald. & Salicet. in L. 2. C. quae sit long. consuetud. Dn. Hahn. ad Wesenb. de Legib. n. 9. ad Verb. Actuum frequentia, Jacob. Menoch. de Arbitrar. Jud. quest. lib. 2. cas. 81. n. 5. Mascard. de probat. Conclus. 424. n. 18.*

11 In stylo Curiae introducendo per inde actus aliqui necessarii sunt, ex quibus de immutato stylo pristino constare possit. Sed & hic non conveniunt Doctores, quot actus ad stylum constituendum sint necessarii. Unum actum ad Stylum Curiae introducendum sufficere, dicit Panormitan. *in C. in causis circa fin. X. de Rejudic. Rochus de Curte in praefat. Tit. de Consuetud. n. 27.* A quibus non alienus est *Alexand. Targagn. lib. 2. Const. 36. n. 9. in fin.* dicens; Si semel aliquid à Judice factum, illud

illud in posterum quoque observandum esse. Et idem sentire videtur
Flamin. Paris. de Resignat. Benefic. lib. 3. Quest. 6. n. 29. ubi dicitur, quod
 ad Stylum sufficiat ita observatum fuisse. Per frequentes vero actus sty-
 lum introduci, vult *Barthol. Bertazol. de Clausul. Instrumental. Claus. 4.*
Gloss. 36. in fin. Non displicet nobis distinctio, quam tacite insinuare
 videtur *Alexand. dict. Consil.* An sc. stylus sit declarativus, an abroga- 12
 tivus, an inductivus. Hoc est, an quærat de stylo generalem Le-
 gem vel Consuetudinem declarante; an de stylo Usum ac mores hacte-
 nus receptos abrogante, seu de stylo, priori procedendi modo contra-
 rianti; an verò de stylo novum quid introducente, non contra, sed præ-
 ter stylum hactenus receptum. Primo casu unus actus suffecerit, si 13
 ille publicus fuerit, eidemque ab aliis non contradictum, sic enim leve
 præjudicium subest, ut hinc facilius admittatur. Unde & statuit *Rebuff.*
dict. Articul. 2. Gloss. 13. n. 17. in stylo interpretativo non requiri actuum
 pluralitatem, & unum actum tali casu sufficere, asserit quoque *Don. Garf.*
Mastrill. Part. 1. Decis. 52. n. 14. Tertio casu duo actus sufficere pote- 14
 runt, ex unico enim actu vix constaret sufficienter, an consulto stylus ille
 novus adhibitus, an non. Et hinc binos quoque actus requirit *Augu-*
stin. Berous v. 1. 3 Consil. 87. n. 23. Secundo autem casu, ad exemplum 15
 Consuetudinis, arbitrio Judicis committendum putamus quot actus ne-
 cessarii sint, ut prior stylus vel statutum, hactenus observatum, per con-
 trarium stylum immutatum dicatur. Nam ubi de Jure vel Observan-
 tia immutanda agitur, ob præsumptionem illam, quæ semper pro validi-
 tate ac vigore statuti ac Observantiæ pristinae militat, *argum. L. Sancimus*
27. C. de Appellat. non nisi valida & jure subsistens via præsupponenda,
 quæ mutationem induxerit, atque hinc ad Consuetudinem seu stylum,
 omnibus consuetudinis requisitis stabilitum, recurrendum.

Circa qualitatem vero actuum adhuc disputatur in materia Con- 16
 suetudinis, occasione *Legis 34. ff. de Legib.* An actus præcisè debeant
 esse judiciales, an extrajudiciales: Illos non esse necessarios, sed & hos
 sufficere, receptior & verior est opinio, *Zoes. Commentar. ff. Tit. de Legib.*
n. 75. Panormitan. in C. Abbate 25. n. 16. de V. S. Sed, an idem de acti- 17
 bus, stylum Curia intro ducentibus, dicendum? Et respondemus,
 certum esse, non posse stylum actibus extrajudicialibus induci, quamvis
 id statuatur *Angel. Aretin. in S. ex non scripto Instir. de J. N. G. & C.* Stylus
 enim Consuetudo Judicialis est, modum procedendi in judicio deter-
 minans; Atqui, quomodo Consuetudo hæc extrajudicialibus consoli-
 dabi-

dabitur actibus? Quæ enim iudicium ipsum concernunt, non nisi ex ipso iudicio Authoritatem habent ac pondus; Ut hinc non nisi actus iudiciales hic suffecerint, Bertazol. *d. Claus. 4. Glos. 36. n. 3.* Id verò magis forte dubium, an, ut Stylus Curiaë introductus dicatur, contradictorio iudicio opus sit, quo de stylo præsentis disputatum, & ille nihilominus confirmatus? Fortè id videbatur ob *d. l. 34. ff. de Legib.* quod & ea propter asserit Ludovic. Post. *Tr. de Manuten. observat. 84. n. 73.* Sed receptissima Doctorum opinio est, Contradictorium iudicium ad stylum Curiaë introducendum non requiri. *Flamin. Paris. de Resignat. Benefic. lib. 3. quest. 6. n. 28. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumt. 8. n. 13. Augustin. Bero. Vol. 3. Consil. 87. n. 20. Camill. Borell. Summ. decis. Orb. Christian. lib. 1. Tit. 14. n. 106. Cravett. Cons. 201. n. 21.* Alia enim stylum probandi ratio est, alia introducendi: Facilius probatur, si in contradictorio iudicio stylus confirmatus sit, & multum hoc ad styli validitatem confert. *Aymo Cravett. de Antiq. Tempor. Part. 4. pr. n. 36. in fin.* Introductio vero etiam ex actibus aliis fieri potest. Hinc stylus Curiaë induci potest per solitas clausulas, quas Curia apponit: ne enim illæ abundantes videantur, ex stylo recepto pro necessariis erunt habendæ, *Cardinal. Tusch. Prædic. Conclus. lit. 5. Conclus. 693. n. 1.* Recipit enim stylus sæpius clausulas in se non necessarias, ad maiorem tamen declarationem facientes. *Tusc. d. l. n. 2.* Hæ itaque clausulæ de stylo Curiaë esse dicuntur, quamvis super ipsis iudicatum non fuerit, sufficit enim, quod in iudiciis receptæ & usu approbatæ sint.

20. (3.) Ad Consuetudinem introducendam necessaria quoque est temporis diuturnitas. Diuturnis enim moribus consuetudo introduci-
tur, §. *ex non scripto. 9. Instit. d. 3. N. G. & C.* Hinc inveterata consuetudo dicitur *L. 32. §. 1. ff. de Legib.* In determinanda vero temporis diuturnitate itidem variant Doctores. Plerorumque sententia esse videtur, quod lapsus decem annorum sit necessarius, *Petr. Ravennas de Consuetud. sect. 1. n. 5. Zæf. ad ff. Tit. de Legib. n. 77. Jason. in L. de quibus 32. n. 42. ff. de Legib. & quos ex veteribus citat Petr. Salazar. Traët. de Usu & Consuetud. c. 5. n. 1.* Quanquam rectius sentire mihi videantur illi, qui & temporis determinationem, utpote in iure nostro nullibi expressam, iudicis arbitrio relinquunt cum *Menoch. lib. 2. Arbit. Jud. Quest. Cas. 83. n. 6. Bachov. ad Treutler. vol. 1. disput. 1. thes. 9. lit. E.* In Stylo Curiaë introducendo perinde temporis spatium requirunt Doctores, ubi ad communis illius sententiæ imitationem circa consuetudinem adductæ itidem statuunt, quod stylus Curiaë

Curia inducatur spatio decem annorum, *Camill. Borell. lib. 1. decis. Tit. 14. n. III. Gratian. decis. 237. n. 35. Alexand. Tartagn. lib. 2. Consil. 36. in fin.* In contrarium verò, ad stylum Curia non requiri illum cursum temporis, qui requiritur in Consuetudine, statuit *Rochus de Curte de Consuetud. in Prefat. n. 27. Petr. Rebuff. ad Constitut. Gall. Tom. 3. de Consuetud. Articul. 2. Gloss. 13. n. 16. Bertazol. d. Claus. 4. Gloss. 36. n. 3.* Verum hi ipsi Doctores eandem distinctionem præsupponere videntur, quam antea, quoad numerum actuum, in stylo introducendo necessarium, adduximus. Distingvit enim *Rebuff. d. l. an stylus sit contra jus, an non.* Illo casu temporis diurnitatem requirit ad instar Consuetudinis, non hoc casu. Sed cum verior nobis sententia visa, nec in Consuetudine decem annos requiri, idem in stylo Curia dicimus, & vel brevius vel longius tempus requirimus, pro ut plures vel pauciores actus immutati styli gesti. Hinc & annum, imò adhuc brevius tempus sufficere putamus, si interim aliquoties actus, novum stylum concernentes, gesti, quod commodè satis iudex ipse arbitrari valebit. Hæc pleraque sunt, quæ in stylo Curia introducendo observari merebantur, ubi ultimo loco duo hæc subjungere lubet: primò quidem, An ad styli Curia introductionem etiam scriptura requiratur? Quod utique negamus, cum stylus pedetentim introducatur & recipiatur, unde & ad jus non scriptum referendus perinde ac ipsa consuetudo. *Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Diss. 1. th. 9. lit. A. in fin.* Hinc si ab initio in scripturam redigeretur, non amplius tacito consensu, sed expresso introduceretur. Et hinc esset non stylus Curia, sed Ordinatio Curia seu Lex judicaria, eine Gerichts-Ordnung, non vero eine wohlhergebrachte Observantz vel statutum Judicarium, *Angel. Aretin. ad S. ex non scripto n. 5. in fin. I. de J. N. G. & C.* quæ ipsa minimè confundenda. Alia vero dubitatio est. An, si stylus jam introductus, in scripturam redigi possit? Ubi ex recepta Doctorum sententia, quam circa consuetudinem fovent, distingvendum; an scilicet stylus privata Autoritate in scripturam redigatur, an publica. Illo casu scriptura privati nil roboris amplius stylo superaddere poterit, vel ipsius naturam immutare, cum id privato concessum non sit; Hinc saltem id memoria causa factum esse, censetur. Hoc casu verò, si Autoritate publica, illius scilicet, qui circa ordinem judiciorum vel modum procedendi disponere vel statuere quid potest, in scripturam redigatur, de intentione illius, qui in scripturam redigere mandavit, constare debet; Si enim voluit, ut imposterum pro lege habeatur, seu si per modum sanctionis expressæ scribi curet, styli naturam

turam propriam amittet, & uti antea dictum, evadet Ordinatio judiciaria. Si vero de illa mente non constet, stylus propterea in scripturam redactus censetur, ut eo facilior ejusdem existat probatio, *Petr. Rebuff. d. consuetud. Artic. 2. Glos. 15. in fin.* Et hinc Posteriori casu stylus manet, cum illud, quod ex abundantia accedit, actum non vitiet vel mutet. Priori vero casu stylus talis esse definit, nisi dixeris, quod respectu originis tamen stylus maneat, Conf. quæ in simili disputat *Zœsius ad ff. Tit. de Legib. n. 86.*

- 25 Deinde & hoc subjiciendum restat, An ut stylus validè introductus censeatur, consensus Principis seu ipsius expressa confirmatio sit necessaria? Et hoc negandum putamus; Uti enim Consuetudo ad sui substantiam confirmatione superioris non indiget, sed sola Principis scientia etiam generalis sufficit, *Roch. de Curt. in C. cum Tanto X. de Consuetud. sect. 4 n. 22. & 25. Zœs. d. t. n. 83.* Ita in Stylo Curia ob paritatem rationis idem decidendum esse existimamus. Et quamvis inter Judicem superiorem & inferiorem distinguat *Natta in addit. ad Alexandr. Conf. 36. in fin. l. b. 2.* & stylum ab inferiore Judice inductum tunc demum valere existimet, quando à superiore confirmatus fuerit, nullo tamen textu vel ratione id evincit. Aut enim stylus ab inferiore judice induci poterit, aut non. Si illud, confirmatio necessaria non erit. Si hoc, confirmatio Superioris sola stylo tribuet auctoritatem, & hinc non stylus, sed Ordinatio judiciaria est. Cum vero *Natta d. loco* loquatur de stylo contra jus inducto, hoc ei facile largimur, quod conniventia Principis ad minimum necessaria, quæ tacita confirmatio dici poterit, multum tamen differens à confirmatione expressa. Et inde quoque patet, quid sentiendum de
- 26 opinione *Joseph. Ludovic. decis. 96. part. 2. n. 8.* Ubi vult, quod ad hoc, ut stylus Curia sit observandus, requiratur, quod sit confirmatus Auctoritate superioris, mediante sua aliqua Constitutione vel confirmatione. Hòc casu enim stylus à natura sua declinabit paulisper, ut antea dictum; Quod quidem explicant Doctores de eo casu, quoties stylus totum præjudicium causæ & negotii principalis concernit. Si enim saltem concernat modum agendi vel procedendi, tunc confirmationem a deo non requiri volunt, ut stylus etiam coram inferiori Magistratu induci possit; Doctores citatos vide apud *Dn. Tabor ad Axiom. Barbos. lib. 17. C. 54. Axiom. 2. in fin.* Verum nec hoc obstat, quo minus idem in stylo Curia asseramus ac in consuetudine; Ad hanc verò nullibi confirmatio de necessitate requiritur, Uti enim consuetudo ex sui natura hunc effectum
- habet,

habet, ut Legem contrariam abrogare possit, *l. de quibus 32. §. inveterata, inf. ff. d. LL.* non opus erit, ut per confirmationem Superioris demum hanc efficaciam consequatur. Ita quoque eadem styli ratio est, hunc enim speciem consuetudinis absolvere, expeditum esse ex illis, quæ superius cap. I. dicta, existimamus. Ut taceam limitationem Dd. si scilicet Stylus ad præjudicium negotii principalis seu decisionem causæ pertineat, non omnino huc quadrare, cum stylus proprie sic dictus eousque non extendatur, uti ex cap. seq. apparebit.

CAPUT. IV.

De Objecto Styli Curia,

SUMMARIÆ.

- | | |
|---|--|
| 1. Quodnam proprium styli Curia sit objectum. | rum juramento. |
| 2. Objectum styli Curia non tantum ordinem Processus, sed & modum proponendi & causas deducendi complectitur. | 14. Ut & in sententia ferenda. |
| 3. Etiam si causæ in judicio ore tenus proponantur, stylus Curia est attendendus. | 15. Et transmittendis actis ad Academias vel Scabinatus. |
| 4. Primitus stylum Curia tantum denotasse modum scribendi, probabile est. | 16. Nec non in sententiarum publicatione |
| 5. Postea vero traducta ejus significatio ad modum quoque loquendi. | 17. Et Appellationis instantia. |
| 6. 7. In citatione stylus Curia quomodo attendendus. | 18. 19. An judex Appellationis teneatur judicare secundum stylum Curia inferioris. |
| 8. An stylus Curia circa Juramenti calumnia delationem quid possit disponere. | 20. Quando ad hoc obstrictus sit. |
| 9. 10. An stylus Curia in libello formando etiam locum habeat. | 21. An in executione, subhastatione & licitatione locum habeat stylus Curia. |
| 11. An etiam in exceptionibus dilatoriis. | 22. An secundum stylum Judicis exequentis fieri debeat executio? |
| 12. In probationibus quoque stylus attendendus & recipi potest. | 23. Objectum styli Curia an tantum ad actus judiciales restrictum? |
| 13. Sic etiam in Examine testium, & eo- | 24. An stylus Curia etiam decisionem causarum respiciat? |
| | 25. Stylus Curia & consuetudo sæpius confunduntur. |
| | 26. Per indirectum stylus Curia sæpius ad causas decidendas traducitur. |

- 1 **M**odum constituendi Stylum Curiaē ha-
 2 **M**atenus videmus, jam objectum seu causas, in quibus stylus Cu-
 riaē locum habeat, hoc Capite paucis subjungere lubet. Quod-
 nam vero Objectum styli Curiaē proprium sit, hoc ex definitione, in Ca-
 pite primo proposita, satis apparebit; ubi dictum, quod stylus modum,
 3 & ordinem procedendi in iudicio concernat. Modum vero proceden-
 di hic non stricte capimus, pro solo Ordine Processus, quo respectu sty-
 lus in Saxonia esse dicitur, quod Actori iuramentum deferre reo non li-
 ceat, nisi hoc factum ante litem contestatam & praestitam Guarandam,
 quod ab initio per stylum novum contra jus commune (ubi quovis tem-
 pore iuramenti delatio) locum habet *L. 12. in fin. pr. Cod. de Reb. Credit. &*
jurejur. Andr. Rauchbar. Part. 1. quast. 9. n. 23.) in Saxonia receptum, uti
 apparet ex *Constit. Saxonica Augusti II, Part. 1. vers. So ordnen und wollen*
wir; Ubi notanda veniunt verba Constitutionis; Wie auf Sächsischen
Woden gebräuchlich. Ergo ad usum in Saxonia receptum, seu ad stylum
 ibi frequentatum provocat Elector, quem stylum postea per dictam
 Constitutionem comprobavit, *Conf. de hac praxi Saxonica Carpz. in Process.*
Tit. II. art. 1. n. 97. Sed etiam modum proponendi & deducendi causas in
 iudicio huc trahimus.
- 3 Proponuntur vero causae in iudicio vel oretenus, vel in scriptis. O-
 retenus si proponantur, etiam hic stylum solitum observandum esse, per-
 inde ac in scriptis, dubium non videtur. Hinc stylus dicitur esse in lo-
 quendi usu. *Bartol. ad L. de quibus n. 10. ff. de Legib.* Ubi postea subjungit, sty-
 lum esse consuetudinem loquendi, scribendi & procedendi, quod sequi-
 tur *Barthol. Bertazol. Claus. 4. Gloss. 36. n. 1. Mart. Uran. Tom. 3. Consil. 26. de*
 4 *matrim. n. 4.* Primum quidem styli significationem modo scribendi
 saltem applicatam fuisse verisimile est, cum, uti in capite primo dictum,
 ab instrumento, literis pingendis destinato, stylus denominatus sit, unde
 forte *Bald. in Rubric. Cod. de Rescript. n. 11.* Stylum dicit formam rite recte-
 que scribendi. Et stylum esse consuetudinem vel usum scribendi tan-
 tum, vult *Joh. Andreas & eum citans Petr. Ravenn. de Consved. sect. 3. n. 50.*
- 5 Postea tamen ad modum loquendi quoque eadem significatio tractata,
 cum pari ordine verba proferri, quam literis concipi soleant: nec enim
 figura literarum, sed Oratio, quem literae exprimunt, stylum Curiaē rece-
 ptum demonstrant. *arg. l. non figura 38. ff. de O. & A.* Qui stylus eapropter à
 Doctoribus appellatur Stylus productionis verbalis, *Ludov. Postius Tr. de*
Manuten. obs. 69. in fin. Ut hinc & Advocatus in causis oretenus proponen-
 dis,

dis, Stylum Curia attendere necessum habeat, nam ad omnia, quæ in processibus occurrunt, Stylus Curia trahitur *Dn. Bluhm. Proc. Cam. tit. 2. n. 21.*

Porro in ipso procedendi modo stylus Curia quam maxime attendendus, quod exemplis aliquibus declarasse suffecerit. E. G. In citatione Curia stylus strictè observandus, adeo, ut si contra stylum citationem emiserit iudex, citatus non teneatur præcisè comparere *Petr. Rebuff. de Consuet. art. 2. Gloss. 13. n. 42.* Hinc si citatio contineret verba insolita & inconsueta, utpote, si quis citaretur sub pœna æris & personæ, non stringeret citatum, sed excusaretur hic, etiamsi non compareret. *Felin. in c. 2. Verb stylus Curia X de Rescript. Roch. de Curte de Consuetud. sect. 8. n. 50. in med.* Quod & ad calum, si citatio solito munita non sit sigillo, extendi potest; unde sicuti stylus Ducis Venetorum est, quod literæ ipsius bulla plumbea debeant esse bullatæ, ita, non servatâ illa bulla, non valent literæ, quia, quoties stylus infringitur, non valet, quod agitur. *Petr. Ravenn. de Consuet. sect. 3. n. 50. Bald. in L. de quibus ff. d. ll.*

In iuramento calumniæ deferendo quoque per stylum quid recipi poterit. Hinc de Cam. El. Brand. testatur *Fr. Pruckm. vol. 1. cons 38. n. 77.* quod ibi moris non sit, iuramentum calumniæ viva voce petere, sed ipsum ex stylo in scriptis semper petere, necessum esse. Per Recessum vero Deputationis de An. 1600. in Imperio receptum, ut non sufficiat in scriptis hoc iuramentum esse petitum, sed & ore tenus repeti debet, *Obrecht de Juram. Calumn. c. 11. n. 29. Dn. Brunnem. Proc. Civ. c. 15. n. 1. in fin.*

In Libello quoque stylus Curia perinde observandus, alioqui enim iudex libellum, contra stylum formatum, ex officio potest rejicere, ne iudicium reddatur elusorium. *Roch. de Curt. dict. n. 50. Rebuff. d. l. n. 40. Nicol. Everh. Top. Leg. Loc. à stylo Curia 105. n. 3.* Hinc si duo diversis actionibus unum eodem libello convenire velint, non sunt audiendi; cum non moris neque styli sit, duos pluresve actores, unum eundemque reum, ratione causarum separatarum & ab invicem divisarum, uno eodemque libello convenire. *Dn. Pruckm. vol 1. Cons. 10. n. 47. Sic per Rec. Imp. de A 1654. §. Daß die bißhero / libellus articulatus rejectus fuit; sed in variis Germania locis stylus hætenus retentus fuit, ut etiam libellus articulatus admittatur.* Hinc si de eo stylo constet, iudex libellum articulatum rejicere non poterit. Porro id quoque ad stylum Curia pertinet, quod libellus & omnia producta in duplo offerri debeant, quo alterum exemplum in iudicio retineri, alterum parti adversæ communicari possit, ut ita temporis & expensarum compendium fiat, sicuti hoc in *Ord. jud. Pomeran. Tit. Bom Kläger* expresse receptum.

- 11 Pari ratione in aliis Processus Capitulis stylus locum sibi vindicari poterit. Exceptiones dilatorias qui opponere vult, ex stylo plerorumque judiciorum, eventualiter simul litem contestari tenetur, quod in specie probatum per *Ordinat. Camer. P. 3. T. 13. Reces. Imp. de Anno 1654. §. und hat der Beklagter* / qui stylus hoc operatur, ut rejectis exceptionibus dilatoriis, reus nova litis contestatione opus non habeat, sed illa jam pro contestata habeatur: Quanquam ex stylo Pomeranico etiam repetita litis contestatio in scriptis facienda reo sit, uti apparet ex *Ord. Pomer. de Anno 1566. Tit. Von Befestigung des Krieges in fin. pr.*
- 12 In probationibus quoque stylus Curiae attendendus. Juris communis quidem regula est, non tantum quod actore non probante reus absolvatur, per *L. fin. C. de R. V. l. qui accusare 4. C. de Edend.* sed & quod actore non probante suam intentionem, nec reus exceptionem probare necessum habeat, per *L. Siquidem. 9. C. de exception.* Sed hic iterum stylus in Pomeran. receptus est contrarius, quo obligatus est reus, statim cum Actore probare suam exceptionem, licet actor nondum probaverit suam intentionem: quo pacto tamen, ne durior reddatur conditio rei, non publicabitur probatio exceptionis, nisi publicata prius probatione actoris, ut inde appareat, an hic satis probaverit intentionem, qua probata demum publicabitur probatio exceptionis. *Ord. Pomer. Tit. Von Defensionen, §. hätte sich der Beklagter* / quod ipsum ad maturandum processum apprime facere assentit, *Dn. Brunneman. Process. Civil. cap. 18. n. 17.* Sic etiam, ubi per Instrumenta probandum, in judicio instrumenta solennia & valida regulariter producenda. Verum per stylum Curiae introduci potest, ut instrumento etiam non solenni, quodque alias, cessante hoc stylo, plenè non probaret, plena fides tribuatur. *Dn. Pruckman. vol. 1. Consil. 50. n. 386. & vol. 2. Cons. 25. n. 30. Cravett. cons. 379. n. 4. Joh. Petr. Surd. vol. 2. cons. 262. n. 26.*
- 13 In examine testium & juramento ab ipsis ante depositionem præstando, item stylus Curiae præcise observandus, ne vel omittatur citatio ad videndum jurare testes, vel ne testes præsentibus partibus examinentur, de cujus styli observatione prolixè agit *Ludovic. Post. Tract. de manutenent. obs. 84. n. 32. 70. seq.*
- 14 Hæc ipsa pluribus exemplis per omnia Processus capitula deduci uberius possent, nisi desiderata & grata brevitatis foret impedimento. Hoc saltem addimus; Ubi à partibus in causa conclusum, Judicem in sententia ferenda quoque quam maxime stylum Curiae attendere debere. Curiosi enim, & quam maximè solliciti solent esse Assessores Curiarum & Collegiorum

giorum Juridicorum, ne vel à stylo cujusque judicii consuetudo & recepto recedant, pro lege illum habentes, nec verbum facile mutant, Carpzov. *Process.* Tit. 16. Art. 2. n. 1. Concipit verò Judex sententiam vel ipse vel per alios, dum transmittuntur Acta judicialia ad Facultates Juridicas vel Scabinatus, Schrader *de feud. part. 10. sect. 14. n. 57.* Judex itaque attendet, quid & hoc in puncto styli sit. Regulariter quidem necessitas, transmittendi acta ad Facultatem quandam, judici non incumbit, adeo ut transmissio Actorum petita & neglecta, ne quidem sufficiens gravamen sit ad appellationem recipiendam. Dn. Mevius *decis. VVismariens. Part. 4. Decis. 335. & decis. 520.* si videlicet alia appellandi causa destituatur, vel judicem suspectum fuisse probare nequeat. Quod si vero stylus, mos vel lex exigat transmissionem Actorum, sic judex si eam negligeret, nullitatem committeret, Dn. Mevius P. 5. *decis. 110. & decis. 154. n. 5.* Si vero Judex ipse sententiam concipiat, stylum hæctenus receptum maxime attendere debet, ne ab eo recedat, sed studiosissime potius eum observet. Carpzov. *dict. art. n. 4.* ne alioqui nulla existat sententia. Vivius *decis. 401. n. 50. Camill. Borell. Summ. Decis. P. 1. Tit. 14. n. 107.* Et hic stylus porro & in publicatione sententiæ attendendus. Regulariter quidem sententia nomine judicis publicanda per *Recess. Imper. de Anno 1570. §. In unser Kammergerichts-Ordnung. Gail. lib. 2. obs. 11. n. 28.* Sed Stylus aliquorum locorum contrarium recepit, quod valeant sententiæ à Collegiis Juridicis conceptæ & à Judice simpliciter publicatæ non inserto suo nomine Carpzov. *Process. Tit. 16. Art. 1. n. 50.* Porro sententia definitiva in Ordinario Processu in scriptis publicari debet, seu voce Judicis ex scripto prælegi. T. Tit. C. *de sentent. ex brev. recitand.* Limitationes tamen vide apud Dn. Brunneman. *Comment. Cod. ad L. 2. dict. tit.* Hoc verò tam diu observabit judex, donec novo stylo contrarium etiam permissum esse, certus extiterit. Sicuti verò in sententia concipienda Stylus observari debet, ita quoque in declaranda. Petitur vero declaratio ab eo, qui sententiam concepit. Unde stylus Curiarum est, ut quando de sententiæ interpretatione lis est, ad idem collegium, à quo sententia concepta, pro ea declaranda transmittantur Acta. Dn. Mev. *part. 1. Decis. 110.* Dn. Brunneman. *Comment. ad L. 4. n. 9 ff. de Appellat*

In instantia appellationis æque stylus suum sortitur effectum, cum & Judex superior non sine jure procedere debeat, stylus vero pro jure habetur. Vivius *dict. decis. 401. n. 49.* Et hæc ipsa Styli observatio tam in interponenda, quam introducenda & proseguenda appellatione attendi debet.

debet. Sic in aliquibus judiciis styli est, ut appellatio coram Notario & testibus interponatur, Carpzov. P. 1. Constit. 20. defn. 1. n. 5. Sigismund. Scacc. de Appellat. Q. 6. n. 35. Qui stylus etiam in Pomerania attenditur: Sed e contrario in Marchia non observatur, teste Magnif. Dn. Brunneman. Comment. Noviss. ad L. Cum quidnam 7. n. 2 ff. d. Appellat. Ergo quod in quovis loco usu receptum, id utique observandum. Quæ omnia & in aliis punctis exemplis declarare lubens supersedeo, cum praxis ubique eadem suppeditet. Id saltem quod apud Doctores controversum video, subjicere lubet; An iudex appellationis teneatur judicare secundum stylum Curia inferioris? Prius asserendum videbatur, cum stylus alicujus Curia non liget generaliter, sed saltem in illa Curia in qua viget. Rebuff. dist. Art. 2. Gloss. 13. n. 56. nec de loco ad locum extendatur, Flamin. Paris. de Resignat. benefic. lib. 3. q. 18. n. 76. Hinc nec stylus inferioris iudicii ad superius trahi debet, cum illud potius ab hoc dependeat; In contrarium vero facit, quod Iudex appellationis teneatur judicare secundum statuta & Consuetudinem iudicii à quo, uti deducit Rebuff. dist. Art. 2. Gloss. 22. Placet distinctio Rebuff: quam habet sequenti Glossa 23. quod in illis, quæ modum procedendi concernant, consuetudo illius iudicii observanda sit, ubi litigatur. Battbel. Berthazol. Claus. 4. Gloss. 38. n. 1. in fin. In decisoriis vero attendenda consuetudo litigantium vel Iudicis inferioris, ubi primum lis agitata. Conf. Everhard. Topic. Legal. Loc. 105. n. 1. in fin. Eodem recidit distinctio quam proponit Jodoc. Damhouder. Prax. Civil. c. 150. n. 8. quod instructiones Processuum ad principale finiantur & iudicentur secundum stylum Curia, unde venerunt & processerunt. Instructiones verò Processum Appellationis vel reformationis fiant per iudicem, ad quem appellatur, & secundum ejusdem Curia stylum.

19

Verum cum præfati Doctores stylum paulo latius capiant & etiam ad Decisoria extendant, quod tamen dubium, uti ex subsequentiis patebit, propterea commodius hunc in modum distinguere licebit. Diversæ quæstiones sunt; An iudex appellationis secundum stylum Curia inferioris judicare, an secundum illum procedere debeat? Hoc nunquam facit, cum Processus appellationis eo stylo sit prosequendus, qui in iudicio appellationis receptus; Sed iterum sub hac distinctione; An quærat de Appellatione in statu quo est ante introductionem, & quo est post introductionem. Ante introductionem, si de modo appellandi quærat, an & quomodo admittenda appellatio, stylus inferioris iudicii est attendendus, & ex hujus iudicii statutis hoc repetendum Sigismund. Scacc

Scacc. de Appellat. P. 1. q. 17. n. 2. & seq. Post introductionem verò iudex appellationis stylum sui fori sequitur. Scacc. dict. loc. n. 17. Unde si ex stylo inferioris iudicii receptum sit, appellationis schedulæ inferere causas gravaminum, in superiori autem iudicio id non requiratur, iudex superior non potest inferiori mandare, ut talem appellationem contra stylum suum admittat. vid. Dn. Mev. P. 6. Decis. 288. Illud verò semper necessarium, ut iudicet iudex secundum stylum Curie inferioris; quoties scilicet sententia primæ instantiæ in stylo recepto se fundat, & ab ea appellatum, ut tunc non possit aliter iudicare, nisi approbando stylum illum, quem secutus in pronunciando erat iudex inferior: Et hoc sequenti exemplo commode poterit declarari. Stylus in iudicio inferiori receptus est, exceptionem excussionis seu ordinis non admitti, nisi præcisè ante litem contestatam opponatur, cum tamen in iudicio superiori ante & post litem Contestationem admittatur. Fidejussor itaque conventus, ommissa illa exceptione in prima instantia litem contestatur, postea ubi opponit exceptionem, illa rejicitur & ad solvendum condemnatur. Fidejussor appellat; Iudex appellationis si reformaret sententiam, male ageret, cum non inique, sed ex stylo recepto pronunciaverit inferior. Confirmanda itaque erit sententia ex hoc capite, quod in iudicio inferiori hic stylus receptus, ergo eundem debuisset observare appellans, legitimo tempore opponendo excussionis exceptionem. Aliud exemplum Juramenti Calumniæ in iudicio inferiori diverso modo delato, ac in superiori iudicio moris est, habet Dn. Mev. p. 3. decis. 279. Ubi appellationem rejectam & decretum inferioris iudicis confirmatum esse tradit.

Quod si à sententia appellatum non sit, sed illa in rem iudicatam transferit, executioni eadem mandanda. Ubi iterum stylus Curie attendendus venit, tam in ipsa executione quam in subhastatione & licitatione. Ludovic. Postius de subhastat. inspect. 24. n. 1. Si enim in executione excesserit, iusta appellandi causa datur. Dn. Mev. p. 3. Decis. 108. quam ordinario Appellationis Processu necessum non sit, sed per mandatum, veluti in re illicita, emendatio fieri potest. Dn. Mevius dict. loc. Sed hic iterum dubium, an secundum stylum iudicis exequentis, an illius, coram quo ultima sententia lata, fieri debeat executio? Et prius asserendum putamus; Omnia enim quæ respiciunt vel ordinem Processus vel ordinem executionis secundum stylum illius iudicis, coram quo agitur, vel executio petitur expedienda Lud. Post. dict. Inspect. 24. n. 30. & 33. Gratian. disceptat. forens. cap. 545. n. 21. seq. Unde consuetudinem loci execu-

V. l. D. XXIII.

E

cutio-

cutionis inspiciendam esse, etiam post. Bald. in L. 1. Q. 4. Cod. Ne Fil. pro
 patri, tradit Rebuff. de Consuetud. Art. 2. Gloss. 13. n. 2.

23 Haec tenus itaque diximus, quo pacto stylus Curiae Objectum suum
 circa modum procedendi sortiatur; Jam subjiciendum erit, an Objectum
 styli Curiae saltem restrictum ad judicialia sit, an vero etiam ad extrajudi-
 cialia pertineat, Et utique inter stylum generaliter sumptum, & stylum
 Curiae erit distingvendum. Generaliter stylum pro modo loquendi vel
 scribendi si capiam, ita & aliis negotiis extrajudicialibus applicari pote-
 rit. Sic enim dicitur stylus ultimarum voluntatum. L. 1. C. de Ss. Eccles.
 Stylus Mercatorum. Hieron. Marilian. decis. 51. n. 7. Alexand. vol. 5. Conf.
 140. Stylus Notariorum Decius Consil. 12. n. 11. Jacob. Menoch. Conf. 1241.
 n. 18. Ludov. Postius de manutent. obs. 69. n. 38. De quo cap. 2. dictum. Sty-
 lus Curiae vero non nisi ad judicialia referri poterit, quod & agnoscit.
 Angel. Aretin. ad S. ex non scripto n. 5. Inst. de J. N. G. & C. quamvis enim
 stylum tam ad judicialia quam extrajudicialia pertinere dicat, tamen i-
 psam Curiae vocem hanc extensionem non admittere innuit. Extrajudi-
 ciales enim actus, quia longe alia ratione geruntur ac judiciales, hinc
 judiciorum stylus illuc trahi non poterit, nisi forte interdum simile quod-
 dam ex actibus judicialibus ad extrajudiciales extendatur.

24 Coronidis loco videndum, An etiam stylus decisionem causa-
 rum respiciat? de quo propterea laborandum erit, cum frequentissima
 inter Doctores distinctio sit, an stylus concernat modum procedendi, an
 vero decisionem causarum. Utroque casu diversa stylo tribuunt requi-
 sita, pro ut ex dictis in cap. 2. & 3. abunde patet. Unde id quoque appa-
 ret, dictos Doctores, quod etiam stylus Curiae novas causarum decisio-
 nes concernat, asserere. Ex quo fundamento etiam in decisionibus
 causarum stylum Curiae allegari posse statuunt. Rebuff. dict. art. 2. Gloss. 13.
 n. 30. Francisc. Vivius lib. 3. decis. 478. in fin. Borell. Summ. decis. Orb. Chri-
 stian. lib. 1. Tit. 14. n. 109. Unde stylum in Ordinatorium & decisorium di-
 stingvit Ludovic. Post. Tr. de subhastat. Inspect. 24. n. 28. Verum haec exten-
 sio styli ad causarum decisionem, merito aliis displicet, qui cum Bartol.
 in L. de quibus n. 10. ff. de LL. stylum saltem ad modum loquendi, scribendi
 & procedendi referunt; consuetudinem vero ad causarum decisionem.
 Treutl. vol. 1. disput. 1. th. 9. lit. A. Quo respectu, in Decisoriis & meritis
 causa stylum Curiae attendi non debere, statuit Francisc. Marci vol. 1. De-
 cis. 276. n. 2. Hillig. in Donell. lib. 26. cap. 2. lit. A. Mart. Uranius Tom. 3. Con-
 sil. 26. de matrimo. n. 4. Ubi in fine ex hac opinione colligit, si quis jura-
 verit

verit se velle servare stylum alicujus Curia, non tenetur vigore talis juramenti servare consuetudinem, si qua servata fuit in Decisionibus causarum, cum juramentum strictè sit interpretandum.

Fateor tamen sæpius hæc confundi à Doctoribus, stylum Curia 25
pro Consuetudine & vice versa capientibus. Quod exemplo sequenti poterit declarari. Dubitatum quondam fuit in Marchia, an Conjux superstes præcisè portionem statutariam capere teneatur, an vero hac abstinere & dotem & illata repetere, ipsi saluum sit? Præjudicia contraria sæpius hac in parte lata, donec tandem Anno 1653. d. 12. Jan. in Camera Electorali Brandenburgica, quæ Colonia ad Spream est, pronunciatum, quod jus repudiandi portionem statutariam locum habere debeat, & quo eo certior imposterum Decisio foret, in fine Sententiæ subjectum und so forthin iederzeit also gesprochen werden/ quam sententiam integram recenset Excell. Dn. Præses. Tract. de Success. ab intestat cap. 5. Artic. 3. §. 25. Inde jam practicis sæpius in ore est, in Marchia hodie styli esse, quod superstes portionem statutariam repudiare possit. Malè tamen, uti ex antea dictis patet, hoc stylo adscribitur; quid enim hoc ad modum procedendi spectat; de decisione casus dubii hic quæstio est, hinc approbata illa juris repudiandi decisio, non styli, sed statuti vel Consuetudinis per sententiam approbatæ, nomen consequetur. Hoc tamen ultimo loco fa- 26
teri necessum habemus, stylum Curia per indirectum ad causas decidendas sæpius traduci. E. G. Si quis stylo solito appellationem non introduxerit vel justificaverit, condemnatur appellans ob non servatum stylum Curia. Hinc vero causa deciditur non per stylum Curia, sed quod causam ipsam secundum Curia stylum non proposuerit. Alia itaque quæstio est, an per Stylum Curia, causæ decidi possint; Alia an ob neglectum stylum Curia quis causa cadere & alter absolvi possit? Hoc affirmamus; Illud salva proprietate vocabuli Styli Curia utique negandum.

CAPUT. V.

De Probatione Styli Curia.

SUMMARI A.

- | | |
|--|---|
| 1. Connexio capitis bujus cum pracedente. | 3. Nec illum allegare sufficit, nisi sit notorius. |
| 2. Stylus ratione introductionis facti est & hinc probandus. | 4. Ubi tamen notorietas illa ab allegante probanda, si in dubium vocetur. |

E 2

Notorie-

- | | |
|---|--|
| <p>5. Notorietas quomodo probetur, remissive, & quod ea ex Pragmaticis, Advocatis & Notariis haurienda.</p> <p>6. An stylus notorius allegandus vel à iudice supplendus, si partes illum non allegarint?</p> <p>7. Ultimum affirmatur.</p> <p>8. Praesertim cum hodiè libellis Clausulae illae salutes subnectantur.</p> <p>9. Stylus si non est notorius, quomodo probari debeat ex varia Dd. opinione.</p> <p>10. Placet eorum opinio, quod plene debeat probari.</p> | <p>11. An per testes probari possit stylus Curia?</p> <p>12. Quomodo testes deponere debeant hoc in casu?</p> <p>13. Per quot testes probari debeat stylus Curia?</p> <p>14. Quales testes adhibendi sint?</p> <p>15. Num etiam personae extrajudiciales testari possint de stylo Curia?</p> <p>16. Quomodo intelligendus Flamin. Paris. loc. cit.</p> <p>17. An etiam per scripturam vel instrumenta probari possit stylus Curia?</p> |
|---|--|

Rationem introducendi Stylum Curiae ejusque requisita potiora, itidemque Objectum circa quod Stylus Curiae versatur, haecenus vidimus; hoc capite de Probatione styli Curiae dispiciendum erit. Ad stylum enim consuetum in foro provocant saepius & Judex & litigantes, ut hinc utique scire necessum sit, an stylus ab allegante probandus, & quomodo styli probatio instituenda?

Primum quod attinet, stylum, si ratione introductionis consideretur, facti esse, negari nequit, cum ex factis & actibus judicialibus idem inducatur; quamvis non negem, stylum jam introductum vim juris habere, de quo capite sequenti agendum. Sed vim juris non habet, nisi certum sit, stylum jam tum introductum esse. Quod vero introductus sit, hoc ex meris factis dependet. Unde & consuetudinem facti esse tradit Alexand. lib. 7. Consil. 67. n. 1. Jam vero certa regula est, ea, quae facti sunt, non praesumi sed probanda esse. per l. Asseveratio. 10. C. de non numerat. pecun. Wesenbec. Paratitl. ff. de Probat. n. 15. Mascard. de Probat. Concl. 732. Fulv. Pacian. dict. Tr. lib. 1. c. 13. n. 8. Hinc & consuetudinem talem vel talem receptam esse, ab allegante probandum. Rebuff. de Consuetud. art. 2. Gloss. 3. n. 1. Quod idem in specie asserunt Dd. de stylo Curiae, quod ille non praesumatur, sed probandus sit. Jacob. Menoch. conf. 464. n. 27. & lib. 2. praesumpt. 8. n. 7. Prosper. Farinac. Decis. Rot. Rom. Tom. 3. decis. 391. n. 7. in fin. Mascard. de probat. Volum. 3. Concl. 1345 n. 1. Cardinal. Tusch. lit. 8. concl. 695. n. 12. Adeo ut non sufficiat stylum allegare sed & probare necessum sit, Augustin. Bero. Vol. 3. consil. 146. n. 50. Farin. d. l. Mascard. dict. conclus. 1345. n. 2. & quos ibi citat;

citat; & quidem in individuo probandus stylus Curia, quod sc. præcisè in hoc iudicio idem sit receptum *Farinac. d. Tom 3. Decis. 486. n. 7.*

Hinc patet, non simpliciter recipiendam esse illorum sententiam, qui sufficere dicunt, modo stylus allegetur; Hoc enim non aliter procedit, quam si stylus sit notorius, ita enim probandus non est. *Franc. Vivius lib. 2. Decis. 297. n. 4. & Lib. 3. Decis. 478. in f. Mascard. d. l. n. 6. Philipp. Decius P. 4. Conf. 559. n. f.* Id enim & in cæteris actibus, in iudicio probandis, usu venit, quod semper notorietas ab onere probandi excuset, quod multis auctoritatibus probat *Mascard. vol. 2. concl. 1108. n. 1. seqq. & notorium, inductum per evidentiam rei, est efficacius omnibus probationibus. Fulv. Pacian. de Probat. Lib. 1. c. 11. n. 4.* Ergo per notorietatem etiam stylus curia jam sufficienter probatus est, nec ulterior styli notorii probatio requirenda. Non tamen hæc libertas à probando nimium extendenda, quasi plane nihil probare necessum haberet ad styli notorietatem provocans; nam id utique probandum, non quod & quomodo stylus talis sit introductus, sed quod notorium sit, talem stylum esse receptum, si videlicet ab altero notorietas illa negetur, quo casu notorietas probanda. *Valent. Franc. de Fidejussor. cap. 5. n. 341.* Facile enim fieri potest, ut rei veritas plerisque perspecta sit, atque ita pro evidenti & notorio habeatur, & tamen interim sint, qui illam nesciant, & in dubium vocent. *Ilico Umm. Process. Judic. disp. 15. th. 3. n. 14.* Qua ratione vero ipsa notorietas probetur, brevitatis causa nos remittimus ad *Mascard. Conclus. 1110.* Hoc saltem addimus, posse iudicem, quoties de Notorietate styli Curia disputatur, ex officio se informare à Pragmaticis, Advocatis & Notariis de stylo hæctenus in iudicio observato: Quæ communis doctorum opinio est. *Fr. Vivius Decis. 297. n. 4. Card. Tusch. lit. 8. Concl. 695. nu. 20. Pacian. de Probat. lib. 1. c. 12. n. 19. Bertazol. Claus. 4. Glos. 36. n. 4. Rebuffus de consuet. art. 2. Glos. 13. n. 52. Menoch. cons. 364. n. 12. Alexand. lib. 3. Conf. 82. n. 3. Bartol. in L. 4. ff. de Testib. Sebast. Vant. de nullitat. Process. Tit. de nullit. ex defect. Process. n. 26. Nicol. Thuldæn. addit. ad Jodoc. Damhoud. Prax. civil. cap. 150. lit. E. & quos plures adhuc citat. Quorsum referri poterit textus in L. 3. §. f. ff. de Testib. Ubi dicitur, quod diligentia iudicantis sit explorare, quæ consuetudo in ea provincia, in qua iudicat, fuerit observata in testibus transmittendis. Nec enim hic opus est probatione antiqua huius styli, sed à præsentis styli peritis in se informasse sufficit. *Mascard. Concl. 423. n. 34.**

Ex his vero jam ulterius disquirendum; An pars stylum Curia

E 3

noto-

notorium allegare debeat, an vero Judex ex officio eundem supplere teneatur? Statuit *Francisc. Vivius dict. Decis. 297. n. 6.* quod Judex, si consuetudo Curiae sit notoria, etiam si à parte non allegetur vel opponatur, debeat indubitanter ex officio suo eam supplere. Alii tamen existimant, etiam consuetudinem notoriam esse allegandam in iudicio, sed non probandam, *Fulv. Pacian. de Probat. lib. 1. c. 12. n. 18.* Quamvis enim notorium relevet ab onere probandi, non tamen relevat ab onere proponendi. *Alexand. lib. 7. Conf. 67. n. 2.* Hinc notorium non allegatum non prodest, *Natta Conf. 219. n. 4.* Alii tunc iudicem notorium supplere posse statuunt, si ex actis illud appareat. *Mascard. Concl. 1109. n. 5.* ubi plures Dd. citat. Nos primam Vivii opinionem retinendam esse putamus: Stylus enim semel inductus legis vim ac auctoritatem habet, adeo ut iudex contra eum iudicans, sententiam ferat ipso jure nullam, *Camill. Borell. Summ. Decis. lib. 1. Tit. 14. n. 107. Matth. Wesenb. Part. 7. Conf. 332. num. 94. seqq.* Imo & litem suam facit Judex contra stylum iudicando, *Rebuff. dict. art. 2. Gloss. 13. n. 27.* Ergo si male iudicare nolit, ex officio supplebit. Spectat huc *Rubr. Cod. Ut qua defunt Adv. part. jud. suppl.* Quod eo magis hodie in foris nostris attendendum, ubi communiter libellis clausulae illae salutares subjiciuntur, & iudicis officium nobilissimum implo-ratur. Hinc uti vigore *dict. Tit. Cod. & clausulae illius salutaris* jus supplere tenetur Judex, ita idem obtinebit in stylo notorio, vim juris habente, sicuti de notoria consuetudine supplenda idem asserunt *Gail. lib. 1. obs. 36. inf. Mynsing. Cent. 5. obs. 95. inf. Mascard. dict. concl. 119. n. 17. Dn. Brunne-mann. Comment. Cod. ad l. un. dict. Tit.* Imò magis ad stylum supplendum tenetur Judex quam ad consuetudinem, cum stylum ignorare non praesumatur, sed facilius ignorare possit extraneam consuetudinem. *Roch. de Curt. de Consuet. sect. 8. n. 50. post med.*

Jam videndum, qua ratione stylus, si notorius non sit, probandus, an probatio illa plena esse debeat, an vero etiam levior in foro admittatur? Communiter hic distinguunt Doctores; An stylus sit contra jus in-troductus, an praeter jus seu saltem ad interpretationem juris pertineat: Hoc casu aliqualem probationem sufficere, illo casu verò plenam proba-tionem necessariam esse, seu ita probandum esse stylum, ac consuetudi-nem, volunt *Petr. Rebuff. d. art. 2. Gloss. 13. n. 54. Cardinal. Tusch. lit 8. concl. 692. n. 10.* Facilius enim per stylum novi aliquid induci potest, quam ius hactenus receptum immutari. Hoc itaque dum majoris pra-judicii est, exactiorem etiam probationem desiderabit. Alii vero Do-ctores

ctores distinguunt inter stylum, modum procedendi seu ordinem iudicii tantum respicientem & respicientem litis decisionem. Illo casu res modici praedicii censetur, hinc sufficit, quod probetur summarie & sine scriptis, ita quidem ut Iudex ad se vocare possit Advocatos & Procuratores iudicii & ab illis summarie se in stylo informare, pro ut superius dictum; Hoc casu vero, quoties litis decisionem respicit stylus, debet ille plene probari, quia sic magni praedicii est, & Iudex se proprio motu informare non potest. *Roeb. de Curt. in C. cum tanta X. de Consuet. sect. 8. n. 50. Bartol. ad L. de quibus n. 22. ff. de Legib. Rebuff. dict. Glos. 13. n. 53. Decius Conf. 483. n. 28. Tusch. Concl. 695. n. 14. Mascard. de Probat. vol. 1. Concl. 423. n. 36. Menoch. Conf. 364. n. 12. & lib. 2. Praesumpt. 8. n. 13.*

Verum quod attinet posteriorem hanc distinctionem, cum stylus Curiae ad decidendas causas proprie non pertineat, sed saltem modum & ordinem procedendi, circa eam non erimus solliciti. Prior vero distinctio nobis quoque arridet, cum ea insuper & in hac ratione fundata sit, quod jus haecenus receptum semper in usu & observantia mansisse praesumatur, *arg. L. 27. C. de Testament.* Ob fortissimam itaque praesumptionem hanc, pro jure militantem, si alius ad stylum contrarium provocet, non statim fidem merebitur stylum allegans, sed plena hic probatione opus erit. Eadem ratio est, si stylus Curiae contra statutum inductus sit, nam & statutum vim juris habet, si scilicet ab illis conditum, qui statuendi facultatem habent, & servatur pro lege in loco statuti, seu, est lex loci, in quo viget, *Sigismund. Finckelthaus. obs. 74. n. 1. Cardinal. Tusch. lit. 3. Concl. 439 n. 7. & statutum tunc dicitur jus commune, Alexand. lib. 7. Conf. 141. n. 20.* Si itaque contra statutum aliquis stylum allegare vellet, formiter stylum probare teneretur, id est, parte citata & in termino probatorio, juxta Roman, *Conf. 512. Tusch. lit. 5. Concl. 695. n. 13.* ubi adhuc alios citat.

Uti autem alias probatio per testes expediri potest, ita etiam stylum Curiae per testes probari posse, non est dubitandum, *Ludovic. Postius Tract. de Subhastat. inspect. 24. n. 8.* Si scilicet testes deponant, hunc stylum haecenus in iudicio hoc observatum fuisse. Uti vero testis omnis ad rationem dicti sui reddendam obligatus est, *c. 37. X. de Testib.* adeo, ut si rationem reddere nequeat, depositio sit nulla, *Dn. Brunneman. Process Civil. cap. 20. n. 71.* ratio vero ex sensu corporeo desumenda: Testis enim nihil deponere debet, nisi quod vidit & sensit. *Nell. à S. Geminian. de Testibus, n. 235. Tyndar. Tractat. de Testib. cap. 5. n. 4.* Et quidem sensus debet esse

esse aptus illi rei, de qua deponit. *Farinac. Q. 70. n. 127. Dn Brunneman. d. l.* Hinc dubitari poterat, qualem dicti rationem reddere debeat testis, pro stylo Curia prpbando productus? Et putamus sufficere, si deponat, quia vidi hoc haftenus in iudicio ita observatum fuisse. Et quidem hic necessum est, ut viderit actus certos, juxta illum stylum gestos, uti hoc in consuetudine probanda requirit *Philip. Decius cons. 402. n. 14. & cons. 483. n. 25. Adde Bartol. in L. de quibus n. 23. ff. d. LL.* Hinc etiam, si testes deponant, quod ipsi ita observarint & ab aliis ita observari viderint, stylus per idoneam rationem à testibus hisce probatus erit. *Hieron. Marilian. decis. 51. n. 7. Guid. Papæ Consil. 164. n. 3.*

- 13 Jam restat videamus de numero & qualitate testium. Numerum testium quod attinet, generalis hæc tenenda regula est, quod in dubio duo etiam testes sufficiant *L. 12. ff. de Testib.* Et quamvis *Rebuff. dict. Art. 2. Gloss. 3. n. 20.* dicat, quod secundum stylum Curia Franciæ consuetudines, in scripturam non redactæ nec approbatæ, soleant per turbam probari, id est, per decem ad minimum testes, non tres vel quatuor, *arg. L. 2. §. Turba 3. ff. de Vi bon. raptor.* hoc tamen non ulterius, quam ubi hoc in specie receptum, extendendum putamus; hinc potius in regula antea data manemus, & etiam stylum Curia per duos testes sufficienter probari statuimus cum *Bartholom. Bertazol. de Clausul. instr. Claus. 4. Gloss. 36. n. 4.*
- 14 Non tamen omnibus statim testibus fides adhibenda, sed hic quoque delectum habebit iudex ad ductum Callistrati Jcti in *L. Testium 3. §. 1. ff. de Testib.* Ante omnia verò testes admittet Advocatos, Procuratores & Notarios, qui ipsi cum quotidie versentur in foro, stylum Curia sibi familiarem reddidisse præsumuntur, unde iisdem de stylo deponentibus, ut peritis credendum, cum quotidie habeant ista præ manibus, *Flamin. Paris. de Resignat. benefic. lib. 3. Q. 6. n. 30. Matth. de Afflict. decis. Neapolit. 78. n. 6. Bartol. ad L. de quibus. n. 23. ff. de LL. Dn Pruckman. vol. 2. Cons. 9. n. 98. Farinac. Tom. 1. Decis. 393. n. 3. & Tom. 2. Decis. 704. n. 6.* Quod eò extendunt, ut si plures Advocati & Procuratores unanimiter pro stylo deponant, etiam summaria eorum depositio sufficiat. *Ludov. Post. Tract. de subhastat decis. 219. n. 24.* Verum cum tamen alias testi injurato fides adhibenda non sit *L. 9. C. de Reb. Credit.* sententiam illam ad stylum interpretativum, vel ordinem judiciorum tantum respicientem, restringendam esse putamus; Alias enim Stylus per testes legitimos, & legitime examinatos probari debet, præstito à testibus juramento, *August. Bero. Vol. 3. Consil. 40. n. 7.*

Porro

Porro & per alios testes probari poterit stylus Curiae, sed hi sine dubio jurato examinandi, & exactam scientiae causam exprimere necessum habent. Cum enim stylus Curiae actibus judicialibus inducatur, Bertazol, *Clauß. 4. Gloss. 36. n. 3.* actuum verò judicialium notitia non facile ad illos, qui extra fori strepitum degunt, perveniat, utique penitus judex in causam scientiae inquirere debet, quam si Advocatus testis sit, qui praesumitur scire stylum Curiae, *Conf. Bartol. dict. n. 23.* Hinc non simpliciter accipienda est sententia *Flamin. Paris. dict. lib. 3. Q. 6. n. 31.* quod etiam extrajudiciales informationes probent stylum: Hoc enim non ita intelligendum est, ac si ex actibus extrajudicialibus probetur stylus, sed quod Judex etiam extrajudicium seu extra strepitum judicii, se super actibus judicialibus informare possit, & ita stylum inquirere: Hinc addit inibi Parisius, modo illa informatio sumatur à peritis ac in foro versatissimis, actuum judicialium cognitionem habentibus. Quo respectu etiam *Farinac. Tom. 2. Decis. Rot. Rom. 561. n. 15.* dicit, quod in illis quae concernunt ordinatoria judicii possit judex extra judicialiter se informare. Hi ipsi tamen regulariter oretenus deponere debent, praesertim si aliqua fraudis suspicio subsit. Nulla enim fides danda est iis de stylo, qui per modum subscriptionis fidem de eo faciunt, qui modus probandi abominabilis admodum est & reprobandus, cum facile reperiantur aliqui, qui in uno eodemque articulo & causa, ad faciendam fidem de stylo, sibi directo fuere contrarii, modo pro una, modo pro altera parte suscribendo, ut inserviant petentibus, *August. Bero Vol 3. Conf. 40. n. 7.*

Haecenus itaque, quomodo per testes probetur stylus, paucis probatione instituti nostri vidimus. Per scripturam vero vel instrumenta regulariter probari nequit, cum & stylus sit jus ex non scripto veniens. Quod limitantum (1.) nisi stylus in scripturam redactus, ita enim per scripturam probasse stylum, nil habebit absurdi, nam & consuetudo, in scripturam redacta, per scripturam recte probatur. *Rebuff. Art. 2. Gloss. 3. n. 3.* (2.) Hoc limitandum, nisi talia instrumenta producantur, in quibus ille ipse novus stylus, de quo disputatur, adhibitus fuisset. E. G. Si de novo stylo, citationes conscribendi, disputetur, & probaturus stylum producat aliquot citationes, sub his formalibus à judice emissas, satis intentionem suam probavit, cum exinde abunde appareat novum stylum in judicio esse receptum. *Conf. Mascard. de Probat. Concl. 425. n. 6. & 7.* Sic etiam, ubi de illo controversia est, quis stylus in instrumentorum conscriptione observatus haecenus fuerit, nec ne, stylus optime probatur

per instrumentorum inspectionem, Dn. Pruckmann, vol. 2, Conf. 25, n. 290 Cravett. Conf. 134, n. 9. (3.) Nisi ex actis stylus appareat, tunc enim per illa Acta stylus quoque probari posset; stylus enim probari potest ex inspectione aliorum Processum ejusdem iudicii, Farinac. Tom. 1. Decis. 393, n. 4. Et huc potissimum refero casum, si in actis sententia aliqua reperiat, pro novo illo stylo lata, vel controversum illum stylum approbans, per sententiam enim stylus valide probatur, arg L. 34. ff. de LL. praesertim cum sententia & res iudicata notorium inducat, L. 10. §. Emptorem 12. ff. de A. E. Menoch, Rem. recuper. possess. 1. n. 233. Wel. lib. 1. Conf. 6. n. 63. Et hinc, consuetudinem etiam in genere per sententiam probari, statuunt Doctores, Mascard. Concl. 427. n. 1. Rebuff. Art. 2. Gloss. 3. n. 4. & 34.

CAPUT VI. De Effectu Styli Curiae,

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Continuatio hujus Tituli cum preced.</p> <p>2. Quis praecipuus styli Curiae effectus.</p> <p>3. Cur stylus Curiae jus faciat?</p> <p>4. Stylus Curiae est observandus.</p> <p>5. Hinc Citatio contra stylum Curiae emissa est nulla.</p> <p>6. 7. Idem obtinet in Libello & sententia.</p> <p>8. Quod ut procedat requiritur ut stylus Curiae certus sit ac invariatus.</p> <p>9. Ut sit inveteratus.</p> <p>10. Ut ipsum Processum ordinem respiciat.</p> <p>11. Observandus autem stylus est tam in Civilibus quam Criminalibus causis.</p> <p>12. Quod si non factum, datur quarela nullitatis vel etiam restitutio in integrum.</p> <p>13. Quomodo iudex puniendus, si vel ex imperitia, vel ex dolo contra stylum Curiae judicaverit,</p> | <p>14. Hoc tamen non adeo attenditur, si nemini per hoc nocitum sit.</p> <p>15. An stylus Curiae Romanae in aliis iudiciis pro norma observandus?</p> <p>16. Quod de nostris iudiciis negatur.</p> <p>17. An stylus Superioris dicasterii in inferioribus attendi debeat?</p> <p>18. Quomodo S. f. Inst. d. satisdat. recte explicandus?</p> <p>19. An inferioris iudicis stylum sequi debeat superior, remissive.</p> <p>20. 21. 22. 23. Quem stylum delegatus Iudex observare debeat?</p> <p>24. Si iudex superior causam ad inferiorem remittat, quem stylum hic observet?</p> <p>25. Quid faciendum iudici, stylo variante.</p> <p>26. Quotuplex interpretatio sit in praesenti materia?</p> <p>27. Stylus</p> |
|--|--|

- | | |
|---|--|
| <p>27. Stylus obscurus interpretandus est secundum jus commune.</p> <p>28. Et explicatio restrictiva in illo potissimum locum habet.</p> <p>29. Quatenus extensiva in illo admittatur.</p> <p>30. Si casus aliquis neque Lege neque stylo expresse decisus sit, unde decisio sumenda?</p> <p>31. Stylus Curiae non extenditur de loco ad locum.</p> | <p>32. Ut nec consuetudo.</p> <p>33. Scilicet ex necessitate Juris.</p> <p>34. 35. Et si diversa illa Curiae in diverso sint loco.</p> <p>36. Ut stylus diversarum Curiarum unius loci ad aliam extendatur, quid requiratur.</p> <p>37. Extenditur stylus etiam ad forenses.</p> <p>38. 39. Ut & ad exemptos ab ordinaria jurisdictione.</p> |
|---|--|

POTISSIMA utilitas Styli Curiae in effectu consistit, ideoque, quem producat, hoc capite paucis lustrandum restat. Et primo quidem Effectum styli Curiae generaliter considerabimus, post exempla quaedam, demum interpretationem styli Curiae subjecturi. Effectus styli Curiae praecipuus est, quod pro Lege habeatur, sicuti unanimi calculo concludunt Dd. *Joseb. Ludovic. Tom. 2. Decis. 36. n. 9. Matth. de Afflict. Decis. Neapolit. 135. n. 3. Francisc. Vivius Decis. 401. n. 49. Cacheran. Decis. 22. n. 6. & 7. Gail. lib. 1. O. 1. n. 1. Paris. Vol. 1. Conf. 44. n. 17. Jacob. Menoch. conf. 100. n. 74. & conf. 270. n. 19. Gail. de pignorat. O. 13. n. 8. maximè si sit interpretativus, Johan. Thilemann. de Benign. Syntagm. IV. Decis. Camer. Dec. 11. Vol. 9. n. 12. Hinc & de stylo Curiae dicitur, quod jus faciat, Gibalin. scient. Canon. & Hierop. l. 9. c. 4. n. 2. Finckelthaus. obs. 74. n. 1. Rebuff. loc. citand. n. 23. Lap. d. Castigl. Allegat. 60. n. 5. & loco rationis habeatur, Adrian. Gylman. Symphorem, Tom. 4. Part. 1. Vol. 30. n. 18. unde & argumentum à Stylo Curiae desumptum, validum est in jure, Nicol. Everhard. Top. Legal. Loc. à Stylo Curiae. 105. pr. Ratio autem manifesta est; cum enim stylus sit species consuetudinis, ut in Capit. I. evicimus; consuetudo vero introducta auctoritatem Legis vel juris habeat, L. 32. §. inveterata Consuetudo ff. de Legib. utique & stylo ob paritatem rationis idem effectus erit tribuendus. Hinc stylum vim consuetudinis habere testatur Alexand. vol. 2. conf. 36. in f. Rebuff. ad Constitut. Gall. Tom. 3. de Consuet. Art. 2. Gloss. 13. n. 22. Imò potius standum esse stylo, quam Consuetudini, variis auctoritatibus probat Borell. Summ. Decis. lib. 1. Tit. 14. n. 104. Cum itaque Legis & Juris vim habeat stylus, exinde sua sponte fluit, quod stylus Curiae sit semper observandus, Pruckmann. Vol. 1. Conf. 10.*

n. 47. *Martin. Uranius Tom 3. Conf. 4. de injur. n. 17. Augustin. Bero. Vol. 3. Confil. 87. n. 19. & Conf. 116. n. 8.* Est enim stylus antiqua quædam Practica, quæ omnino servanda, *Tusch. lit. S. Concl. 695. n. 3.* Et stylus habetur pro forma, *Don. Gars. Mastrill. Part. 3. Decis. 287. n. 60.* A quâ si receditur, non valet quod actum, sed præsumptio falsitatis inde exsurgit. *Tusch. dict. loc. n. 4.* Et stylus & Observantia dominantur omnibus tam viventium, quam morientium actibus, *Pruckmann. Confil. 38. n. 9.* adeo, ut gesta contra stylum sint nulla *Barthol. Bertazol. Clausul. 4. Glos. 36. n. 5.*

5 Nullitatem vero actuum contra stylum gestorum specialius illustraturis occurret (1.) quod Citatio contra stylum Curia emissa sit nulla, & hinc citatus comparere non teneatur. *Rebuff. dict. art. 2. Glos. 13. n. 42. Cesar Urfill. in annotat. ad Matth. de Afflict. decis. 135. n. 2. Everhard. Top. Legal. loc. 105. à Stylo Curia n. 1. in fin. & quos citavimus cap. 4. n. 6. (2.)*

6 Libellus, contra Stylum Curia factus, itidem est nullus, vel à iudice non admittendus. *Matth. Wesenbec. P. 7. Conf. 321. n. 7. Everhard. dict. loc. imo dentibus eum iudex lacerare debet. Rebuff. dict. art. 2. Glos. 13. n. 40.* Quod alias de libello inepto in genere cum *Glos. in L. 1. ff. de Offic. Assessor. Voc. libellus, statuunt. Dd. Gail. lib. 1. Obs. 66. n. 4. Dn. Mevius P. 1. Decis. 42. n. 3. (3.)* Sententia quoque contra stylum lata ipso jure nulla est, *L. Pro-latam. 4. C. de Sent. & interl. Guid. Papa. Decis. 292. n. 2. Francisc. Vivius. decis. 401. n. 50. seqq. Borell. dict. tit. 14. n. 107. Jacob. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præf. 8. n. 18. Matth. Wesenb. P. 7. Conf. 332. n. 94. seqq.* Hinc si stylus alicubi receptus sit, ne quis condemnari possit, non insinuato ab a-ctore libello, iudex tamen non attentò isto stylo sententiam tulerit, eam executioni non esse mandandam decisum fuit à *Joseph. Ludovic. Tom. 2. Decis. 36. n. 1.*

3 Ut verò stylo hunc effectum annullandi actus judiciales in con-trarium gestos tribuamus, putarem necessarium esse (1.) Ut stylus ille sit certus ac invariatus, tunc enim stylus maxime attendendus, si semper eodem modo, non autem varie fuerit observatus, *Ludovic. dict. Decis. 36. n. 12.* Quod si vero actus difformes sint, tunc revertendum potius ad Statutum vel jus commune, *Alphons. Moditius dubitat. 73. §. 2.* Ex actibus enim variantibus nulla certitudo elici poterit, ut sic nec statim annullan-dus sit actus contrarius. Huc ergo facit *L. nam Imperator. 38. ff. de LL.* quod rerum perpetuo similiter judicatarum authoritas vim legis habeat. *Conf. Dn. Mevius P. 5. decis. 283. n. 2.* Et judiciorum frequentissimus ordo stylus appellatur in *Constit. de concept. Digest. §. 10. (2.)* Requiritur etiam,

ut

ut stylus Curia non sit novus sed inveteratus, id est, ut varii actus secundum illum stylum gesti fuerint, continuâ, non verò interruptâ seriè, ut ita de approbatione styli constare sufficienter possit. *Jacob. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præf. 8. in fin.* (3.) Etiam necessarium erit, ut stylus ipsam Processus rationem vel ordinem concernat, si enim de solo stylo, scripturæ normam concernente, quæstio esset, non statim annullandi essent actus contrarii. E. G. In modo concipiendi sententias stylus communis esse solet, ut in prima persona nomen suum exprimat Judex: *Wir Richter und Schöppen erkennen vor Recht.* Quod si vero contrario modo pronunciet Judex, & in tertia persona nomen suum ponat: *Erkennen die Richter und Schöppen vor Recht/* non statim annullanda ex hoc solo foret sententia, alioqui legitime lata. Sic si in fine sententiæ omitteret clausulam illam, *von Rechts wegen/* contra stylum receptissimum, nihilominus tamen sententia salvari posset; cum hac ratione circa ipsum, procedendi modum nil mutet Judex. Quod si vero Judex sententiam ferre vellet, ubi nondum in causa conclusum esset, si publicaret eam non citatâ parte, si testes examinet neglecto juramento, ita propriè judiciorum stylum seu ordinem inverteret, & hi actus regulariter annullandi essent.

Et hæc ipsa, quæ de Observantia styli Curia diximus, non saltem in civili causa obtinent, sed etiam in causa criminali. *Jacob. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præf. 8. num. 15. Matth. de Afflict. Decis. 391. num. 5.* Et hoc eò magis, quo majus subest præjudicium atque periculum; non enim hic de tritico & oleo legato, sed de fama & vita hominis quæstio est, ut hinc processus ordo strictè & ad ungvem observandus, ut graviter monet *Dn. Carpzov. Pract. Criminal. P. 3. quæst. 103. num. 3.* & hunc citans *Dn. Mevius P. 2. Decis. 103. pr.* Damnum enim hic irreparabile infligitur, quod nulla ratione resarciri poterit; ergo cautissime procedendum Judici, ne innocens sanguis effundatur contra *L. 5. ff. de pæn.* Quod si itaque stylum Curia hic negligat Judex, meritò nullitatis querelam instituire potest, & debet inquisitus, vel quicumque patrocinium ejus susceperit. Datur etiam facultas restitutionem in integrum petendi, si contra stylum vel ordinem processus Criminalis aliquis condemnatus sit *Dn. Mev. P. 3. Decis. 411.* Periculosum tamen hoc videtur remedium, ab eodem sc. iudice petere restitutionem in integrum; tutiorem vero appellationem esse monet *Magn. Dn. Brunnem, in Comment. ad ff. ad L. 6. v. 5. ff. de Appellat.*

46
Ubi postea n. 6. subjicit, ne Judex vereatur, causas per ejusmodi appella-
tionem procrastinari, stylum esse, ut superior exhibitionem Actorum in-
jungat Judici à quo, illis verò transmissis, acta revideat Superior, & vel
sententiam confirmet, vel emendet.

- 13 Cum vero tantam auctoritatem habeat stylus Curiae & accurate
judici, etiam si liberum procedendi arbitrium habeat, Menoch. lib. 2. præf.
8. n. 16. observandus sit; non impunè feret, si stylum neglexerit. Conve-
niunt enim Dd. quod Judex, contra stylum judicans, litem faciat suam,
perinde ac si contra legem vel consuetudinem judicaret, Rebuff. dict.
Gloss. 13. n. 27. Francisc. Vivius lib. 2. Decis. 297. in fin. Menoch. d. præf. 8. n.
17. ubi addit, quod propterea de Syndicatu teneatur. Et hinc utroque
casu pari modo puniendus Judex, Barthol. Bertazol. Claus. 4. Gloss. 36. n. 5.
in fin. Quasi delictum enim ita Judex contrahit, dum litem suam facit,
pr. Inst. de obligat. ex quas. delict. ubi poenam arbitrariam incurrit, in quan-
tum scilicet æquum religioni judicantis videbitur, dict. pr. in f. Menoch.
de arbitr. judic. quest. lib. 2. cas. 349. n. 10. Quòd si verò dolo malo aut pre-
tium inducius stylum neglexerit, & ita male judicaverit, verè delinquit, ita
ut in causa pecuniaria infamis fiat & triplum litis reddere, in criminali
vero causa, confiscatis bonis in exilium ire cogatur, per Novell. 124. cap. 2.
Authent. novo Jure, Cod. de poen. Jud. qui mal. judic. Dn. Brunne-
man. Exercit.
- 14 Justin. 25. ad pr. Tit. 5. Ea tamen, quæ de Judice, ob neglectum stylum vel
procedendi ordinem puniendo, diximus, sic saltem habebunt locum, si
injustitia ac perversitas Processus cuiquam nocuerit, seu ex ista damnum
parti sit illatum; Si enim, neglectâ solennitate Processus, nihilominus ju-
ste fuerit pronunciatum, non adeo processus ordo attenditur. Dn. Mevius
P. 2. Decis. 104. n. 5.

- 15 Quoniam autem stylus sæpe variat pro varietate judiciorum, imò
& in uno judicio vix semper æquabilis est stylus, illa styli diversitas sæpi-
us gignit ambiguitatem. Damhouder. Prax. Civil. cap. 150. n. 9. Hinc,
quem stylum Curiae potissimum observare debeat Judex videndum. Et
quidem stylum Romanæ Curiae normam cæterorum esse, sæpius excla-
mant Doctores, Alexand. Stiaticus Præf. Obs. cap. 23. n. 38. Prosper. Fari-
nac. in decis. Rot. Roman. Tom. 1. decis. 196. n. 4. Et ubique servari debet,
arg. S. fin. Inst. de satisdat. Martin. Uran. Tom. 2. cons. 52. n. 5. Stephan. Gra-
tian. Discept. Forens. Tom. 3. cap. 516. n. 33. Et stylus Papæ pro jure reputa-
tur, Roland. à Valle lib. 1. cons. 46. n. 16. Imò pro universali lege habetur,
Uran. dict. loc. Menoch. Cons. 52. n. 51. Et Curia Romana est tanquam Ma-
gistra

itra ab omnibus sequenda, Speculat. Tit. de appellat. §. 10. vers. ut autem
 Roch. de Curte de Consuetud. sect. 9. n. 17. Cujus rationem reddunt, quia
 Romæ est uberrimus fons Juristarum, & propter eminentem scientiam
 Doctorum ibi existentium ab illis normam accipere debent cæteri. Nevi-
 zan. Sylv. nupt. lib. 3. fol. 97. vers. Et etiam observat stylus. Stiatic. dict. cap. 23.
 n. 39.

Contrarium tamen, Stylum Curia Romanæ non imponere necessi- 16
 tatem observandi aliis Curia particularibus post Bald. in cap. 2. de feriis
 statuit Rebuffus dict. artic. 2. Gloss. 13. n. 57. nec valere extra suam curiam
 asserit Joh. Vincent. Hondedeus Consult. Decisiv. Lib. 1. Consult. 27. num. 62.
 Neque alibi observandus, nisi id Papa mandet, pro ut hoc restringit Hie- 17
 ron. Gigas Singular. 7. n. 3. Sed omnium optimè Menoch. lib. 2. Præsumpt.
 71. num. 14. decisionibus Rotæ Romanæ tantum tribuendum esse dicit,
 quantum ratio ipsa urget. Verum operæ pretium non est, quid nos de
 stylo Romano sentiamus, subicere. Pontificem non veneramus ampli-
 us, nec sententias ipsius pro oraculis agnoscimus, multò minus ullum ei
 in nos jurisdictionis vinculum, sive Civile sive Ecclesiasticum fuerit, lar-
 gimur. Ergo nec stylus Curia Pontificia ad nos pertinebit.

Id tamen non inutile videtur de Dicasteriis nostris superioribus 18
 disquisivisse, an scil. stylus Curia in superioribus dicasteriis receptus, in
 inferioribus sit observandus? Ubi breviter distingvimus; num judicium
 inferius jam specialem stylum receperit, an non? Priori casu secundum
 suum stylum judex procedere debet; Siquidem ille regulariter eum,
 stylum observare tenetur, qui in sua Curia est receptus. Rebuff. dict. art.
 2. Gloss. 13. n. 56. Unde si diversus stylus circa ordinationem judicii in-
 ductus in inferiori dicasterio, non attendimus, quid in superiori obser-
 vetur, Dn. Mevius Part. 3. decis. 279. Si vero nondum, in puncto scilicet
 occurrente, certum stylum receperit, ita in dubio ad Stylum superioris
 judicii recurrendum, arg. §. fin. §. de satisfat. Ubi dicitur, quod omnes
 Provincia debeant caput nostrarum civitatum, id est, hanc regiam Ur-
 bem ejusque OBSERVANTIAM sequi. Quem §. male Doctores an- 19
 tea citati ad stylum Urbis Romanæ restringunt. Nec enim ibi de Civi-
 tate Romana, sed Constantinopolitana loquitur Justinianus, ubi Insti-
 tutiones publicatæ fuerunt. Rectius ad quævis superiora judicia &
 Principum Imperii Tribunalia, in suis Provinciis instituta, trahitur, ut il-
 la imitari, quantum ratio patitur, inferiora judicia teneantur.

Cum itaque Curia inferior superioris stylum præcise servare non 20
 tenea-

- teneatur, multo minus Curia superior inferioris stylum servare necessum habebit. Nam Parliamenta secundum suum proprium stylum judicare tenentur. *Rebuff. Artic. 2. Gloss. 23. pr.* Quod tamen, quomodo intelligendum sit, superius *cap. 4. n. 18. seq.* demonstravimus, ubi de hoc puncto plura videri possunt.
- 21 De eo insuper quæritur, si diversus stylus sit delegantis & delegati, quem stylum Judex delegatus servare debeat? Et quidem alii Judicem delegatum neque suum neque delegantis stylum debere observare, sed procedere secundum jus commune statuunt, *Ludovic. Postius Tract. de manuten. Decis. 341. n. 13.* Alii judicem delegatum sui judicii stylum observare debere putant, *Camill. Borell. Summ. Decis. lib. 1. Tit. 14. n. 110. Joseph. Ludovic. P. 2. Decis. 36. n. 14 Steph. Gratian. Discept. Forens. cap. 516. n. 32.* Ubi hoc propterea juri consonum dicit, quia stylus loci, in quo judicium agitur, attendi debet, juxta *Paris. lib. 3. Cons. 108. n. 87.*
- 22 Contrarium tamen aliis placet, qui hoc casu stylum judicis delegantis attendi debere statuunt. *Marta Neapolitan. Digest. noviss. Tom. 1. Rubr. stylus, cap. 2.* Ubi ita in Rota Romona decisum refert, & citat pro hac sententia *Jacob. Puteum, P. 1. Decis. 127.* Quæ sententia verior nobis videtur; In his enim, quæ ex delegatione dependent, alterius non est jurisdictio. *Dn. Mevius. Part. 5. decis. 203. n. 2.* Seu uti jura nostra loqui amant, Delegatus propriam Jurisdictionem non habet, sed alterius nomine eam exercet, *L. 1. §. fin. ff. de Offic. ejus cui mand. jurisd. Zael. Comment. ff. de Jurisd. n. 48.*
- 23 Si verò nomine delegantis exercet jurisdictionem, illa quoque observare necessum habet, quæ ipsi deleganti observanda erant. Et ut ut ille delegatus forte in eo loco ordinarius judex sit alio respectu, quatenus tamen ut delegatus consideratur, eatenus extra limites ordinariæ suæ jurisdictionis constitutus est, & sic quæ stylus judicii recepit, attendere non potest, cum in suo judicio non versetur, sed personam superioris repræsentet hoc passu, ergo & stylum superioris judicis observabit.
- 24 Hinc utique, si in aliis terminis formetur quæstio, alia quoque decisio suppeditanda erit. E. G. Si judex superior causam ad inferiorem remittat, quæritur, an hic secundum stylum superioris judicare teneatur? Et hoc negamus, sed secundum stylum inferioris judicii procedet, propterea cum ita ut ordinarius judex jurisdictionem exercent, quod secus est in delegato. Ad quem enim remittitur causa, is quoad illam causam ordinarius judex manet.
- 25 Quid verò dicendum si in uno eodemque judicio stylus hætenus variaverit, & modo ita, modo aliter processus ratio instituta fuerit? Et verissi-

verissima est opinio, hoc casu, neglecto stylo, ad Jus commune seu scriptum recurrendum & juxta hoc procedendum esse, *Joseph. Ludovic. P. 2. decis. 96. n. 10. Alphons. Moditius dubitat. 73. §. 2.* Quod si vero jure scripto de casu contingente nihil dispositum, in dubio stylus curiae ultimus præprimis erit attendendus. *Ludovic. dict. decis. 96. n. 38.* Si modo aliquot actus secundum stylum novissimum gesti sint, alias siquidem stylus Curiae, ultimo observatus, retinendus erit. *Martin. Uran. T. 2. cons. 74. n. 3.* Vel si de majori Observantia non constet, secundum jus scriptum, uti antea dictum, procedendum. *Barthol. Bertazol. Claus. 4. Glos. 36. n. 6.*

Porro ad Effectum styli quam maximè spectat, nosse qua ratione stylus Curiae interpretantur veniat. Interpretatio autem, quatenus hic à nobis consideranda, vel extensiva est, vel restrictiva. Illa ob rationem generalem verba specialia ad casus alios extendit. Hæc verba generalia ob rationis specialitatem ad suos terminos restringit; quam diversam interpretationem pro more suo accurate exponit *Sutholt. dissert. 1. ad Inst. §. 12. & 14.* Cui addatur *Dn. Hahn. ad Wesenbec. Tit. d. LL. n. 8. Sebastian. Medices. Tract. de Legib. & Statut. P. 3. Q. 16. n. 16. seqq.* Quæritur itaque, quid de stylo Curiae interpretando statuendum? Et in genere dicendum erit, stylum obscurum interpretandum esse secundum jus commune. *Hillig. in Donell. lib. 26. cap. 2. lit. A.* Quod verò vel extensionem vel restrictionem styli Curiae attinet, receptam *Dd.* opinionem esse videmus, stylum Curiae strictissimè esse interpretandum, ita ut non extendi debeat de casu ad casum, *Flamin. Paris. de Resignat. Benefic. lib. 3. Q. 18. n. 76.* Stylus enim valet, quatenus introductus & non amplius. *Felin. in cap. in nostra 32. n. 20. vers. sed obstare videtur. X. de Rescriptis.* hinc semper limitatè est intelligendus *Paris. dict. n. 76.* Ex hoc ergo patet, restrictivam explanationem in stylo plerumque locum habere, ut hinc stylus novus, in una parte processus receptus, ad aliam processus partem extendi non possit.

Non obstat his, quod consuetudinem ad similes casus extendi velit *Roch. de Curt. de Consuetud. sect. 4. n. 3.* ipse siquidem postea in eodem n. 3 se limitat, dicitque quod consuetudo ex identitate rationis possit etiam ad alios casus extendi, dum modo illi casus non habeant Legem contrariam. Hoc verò si ad stylum Curiae applicandum foret, dicemus, Stylum Curiae nec ex identitate rationis trahi ad casus alios, nisi casus ille vel Lege vel alia observantia judiciali non sit decisus; hoc enim

30 nim casu etiam stylus extendi posset, cum alia neque Juris neque obser-
vantia decisio adsit. Inde vero dubitari possit; An si casus ille ne-
que Lege neque stylo expresse decisus, recurrendum sit ad similitudinem
Legis, an ad similitudinem styli? Et quidem si & Lex & Stylus parem
materiam, circa quam casus novus suboritur, tractent, potius ad similitu-
dinem legis, quam styli recurrendum dicimus. Lex enim ex præsumpta
legislatoris mente recipit interpretationem extensivam, *L. non possunt. 12.
& seq. ff. de Legib.* non ita stylus, quem in dubio strictè intelligendum esse
diximus superius. Quod si vero materia illa lege non tractata, sed sal-
tem stylo, sic utique ad styli similitudinem recurrendum, sicut hoc in ter-
minis Consuetudinis optimè deducit Bartol. *ad Leg. de quibus n. 2. ff. de
Legib.* & post eum Roch. de Curt. *dict. sect. 4. n. 5.* Huc quoque referri me-
rentur, quæ notavit Zach. Puteus *decis. 130. lib. 3.* Stylum videlicet exten-
di posse de causis summaris ad ordinarias, modo appareat, quod ille
Stylus, qui in ordinariis est receptus, non discrepet & diversus sit ab eo,
qui in summaris est approbatus.

31 Atqui hæc quidem de extensione styli de casu ad casum: Jam, an
à Curia extendatur ad aliam, videndum. An à Curia superiori ad infe-
riorem trahatur, jam supra explicatum dedimus; saltem, an in Curias
diversas ejusdem provinciæ derivetur, paucis lustrandum. Et recepta
hic quoque Doctorum Sententia est, stylum non extendi de loco ad lo-
cum, *Flamin. Paris. dict. Q. 18. n. 76. Ludovic. Postius de manutinent. Decis.
453. n. 2. Alexand. lib. 2. Conf. 68. n. 19. Decius Conf. 583. n. 22.* Stylus e-
nim non ligat generaliter, sed tantum in Curia, in qua viget. *Petr. Rebuff.
de Consuet. Art. 2. Gloss. 13. n. 56.* Unde stylus pro lege servatur in eo loco,
32 ubi viget. *Jacobus Menoch. Conf. 380. n. 21.* Hinc & consuetudo de lo-
co ad locum, de persona ad personam extendi non debet, *Dn. Mevius part.
2. Decis. 30. n. 4. Cothmann. Respons. 84. n. 48. seqq.* Cujus ratio ex *L. fin. ff.
de Jurisd.* peti potest. Uti enim extra territorium suum jus dicendi facul-
tas judici non competit; Ita si in suo judicio specialem stylum introduce-
rit, nulla juris necessitate ille ad judicium aliud trahi potest vel debet.
33 Ex quo fit, quod stylus unius Civitatis non extendatur ad Civitatem a-
liam, *Jacob. Menoch. Conf. 1179. n. 20.* scilicet ut diximus, ex necessitate
juris, nam quod interdum stylum alterius Civitatis imitetur alia, sæpius
usu venit, dum vel tacite stylum vicinum recipit, vel expressa approba-
tione suam facit, quo casu stylus ille receptus servatur, non ut stylus alte-
rius Curia, sed ut propria, *Rebuff. dict. Gloss. 13. n. 59.* Exempli loco no-
bis

bis sint Civitates Pomeraniæ, qui stylum Curia Lubecensis, ad quem obstricti non erant necessitate aliqua Jurisdictionis, receperunt nihilominus, *Dn. Mevius Prelim. ad jus Lubecense Q. 2. n. 5.*

Quod verò, stylum Curia ad aliam Civitatem aliamve Curiam extendendum non esse, dictum, hoc limitant Doctores si diversæ illæ Curia simul in diverso loco sint; nam stylum seu consuetudinem judicialem, quæ est in una Curia Civitatis, ad aliam quoque Curiam, sed ejusdem Civitatis, extendendam esse statuit *Rochus. de Curte de Consuetud. dict. sect. 4. n. 17.*

Hoc tamen intelligendum putamus (1.) Si judicia sint ejusdem ordinis, uti in Civitate Brunsvicensi quinque judicia æqualia constituta, sũnt *Weichbilder* uti appellant. Hic stylus unius Curia ad alium extendi potest, cum æquali modo ac ordine jus dicatur in omnibus.

Secus est, si judicia sint diversi generis; quo casu stylum judicii ad aliud extendendum esse, non putamus. Unde etiam sequitur, quod stylus procedendi coram Senatu Academico non possit allegari coram Senatu oppidano, & vice versa. Uti enim ipsa Consuetudo non semper omnes in eadem Civitate habitantes concernit, cum locus vel persona possit esse exempta; *Dn. Mevius dict. part. 2. Decis. 30.* Ita idem in stylo Curia eo magis obtinebit. (2.) Imo etiam si ejusdem generis sint Curia, tamen tunc saltem extensio locum habebit, quoties alia Curia specialem stylum nondum recepit; hoc enim si factum, quæque Curia secundum suum pronuntiabit stylum; ita enim verum manebit, quod stylus cujuscunque judicii sit attendus. *Pruckmann. vol. 1. Consil. 38. n. 71. Martin. Uranius. Tom. 2. Consil. 52. num. 1. Ludovic. Postius de manutinent Observat. 84. num. 32.*

Quamvis autem stylus ad alia loca non extendatur, hoc tamen certum, quod & ad forenses in hoc judicio litigantes pertineat. Forensis enim, dum sibi in hoc foro jus dici desiderat, eo modo, pro ut in hoc judicio receptum hæctenus, procedere necessum habebit; quanquam alia ratio sit, si de decidenda causa agatur. *Ludov. Post. dict. Tract. decis. 216. n. 2. Add. Raud. d. Analog. lib. 1. cap. 33. num. 170. Borgnin. Cavalcan. Decis. 42. & 43.* Idem quoque dicendum de causis exemptorum, Si illæ agitentur coram ordinario judice, exempti tenentur sequi stylum & ordinationes ejus fori *Erasm. à Schockier. Tr. de Jurisd. Ordin. in exempt. Part. 2. Quest. 45. n. 54.*

Jam ultimo loco circa Effectum styli Curia dicendum restaret, an etiam stylus contra jus introductus tali effectum gaudeat, qualem antea eidem adscripsimus. Verum cum communiter Doctoribus in ore sit, stylum

lum contra jus non valere, *Flamin. Paris. de Resignat. benefic. lib. 3. quest. 18. num. 79.* nec eum servandum esse, *Menoch. Consil. 217. n. 7.* commodius existimavimus, hæc ad subsequens Caput reservasse, ubi styli contraria restabunt proponenda, & simul, an & quando stylus Curia Legi derogare possit, exponendum.

CAPUT VII. De Contrariis Styli Curia,

SUMMARIA.

- | | |
|---|--|
| 1. Stylus Curia mutabilis est. | dere potest. |
| 2. Mutatur per stylum contrarium posteriorem. | 14. An Ordinationem Judicariam confirmatam ab Imp. Princeps citra ejus Consensum mutare possit? |
| 3. 4. Sive stylus sit judicii superioris sive inferioris. | 15. 16. 17. Quod exemplis deducitur. |
| 5. Stylus etiam mutatur per Principem. | 18. Hodie in Ordinationibus Judiciorum rarius confirmationem Imperatoris adhibent Principes Imperii. |
| 6. Si scil. voluntatem suam de stylo immutando exprimat. | 19. 20. Stylus Juri vel statuto contrarius ex opinione Dd. annullatur. |
| 7. Secus est, si id non fecerit. | 21. 22. Reprobatur illorum Sententia sub certo respectu. |
| 8. Hinc Rescriptum Principis stylo contrarium praesumitur falsum. | 23. 24. Et contrarium ex aliorum Dd. opinione stabilatur. |
| 9. Et judex impune illud negligere potest. | 25. An praescriptio in stylo requiratur. |
| 10. Sive id sit contra stylum sua Curia sive illum, qui est in Curia Principis. | 26. Stylus C. etiam statutis, Ordinationibus judiciorum & consuetudini derogat. |
| 11. 12. An judex inferior stylum C. mutare possit. | |
| 13. Princeps Imperii vi superioritatis territorialis judicii Ordinationem con- | |

UT nihil æqua lance sibi constat semper, sed pleraque tractu temporis decrementum sentiunt, imò planè immutantur; Ita idem stylo Curia usu venit. Ille perinde deliquitum patitur sæpius, haud raro tollitur, & abrogatur; Hinc quæ stylo Curia contraria potissimum sint, hoc capite subjicienda. Et quidem primo loco stylus contrarius posterior, stylum priorem tollit, unde & posterior stylus observandus dicitur *Joseph. Ludovic. P. 2. decis. 96. n. 38.* Posteriora enim prioribus ordinariè derogant, uti hoc observare est in Legibus,

bus, L. f. ff. de Constit. Princip. in pactis L. pacta novissima 12. C. de pact. in testamentis L. 22. ff. de Legat. 3. Ut & in statutis & consuetudine Alexand. Tartagn. Lib. 4. Cons. 122. n. 1. Ut hinc dubium non sit, etiam stylum, Curia posteriori contrario stylo abrogari. Barthol. Bertazol. Claus. 4. Gloss. 36. n. 6. Et hoc eo magis, quo magis stylus ex se mutationi est obnoxius, non saltem in judiciis inferioribus, sed & superioribus. Nam & stylus Curia Romana mutabilis est, modo albus est, modo niger; Hieron. de Cavallos de Cognit. per mod. violent. in caus. Eccles. q. 62. n. 64. Flamin. Paris. de Resignat. benefic. lib. 3. q. 6. n. 34. Bertazol. dict. loc. Imò volubilis est, & mutatur ad mutationem novi Papæ & Auditorum Rotæ, Jason. in L. cunctos populos. n. 53. C. de SS. Trinit. Hieron. de Cavall. dict. loc. Et propterea Indies recipit varietatem, Sigismund. Scacc. de Judic. lib. 2. cap. 3. n. 277. Quæ ipsa mutatio in Augustissimo nostri Imperii Judicio, Camera sc. Spirensi, sæpius contingit, ut apparet ex Recess. Imper. Spirens. de Anno 1557. §. ierweil/ ubi hæc habentur verba: Diemeil aber in unserm Cammergericht/ durch vielfältige Veränderung der Besitzer/ auch dessen alter wohl hergebrauchter Stylus und Brauch/ bevorab in Erlernunge der Process zu vielen mahlen geändert. Quamvis enim Camera stylus antiquus semper sit observandus, Adrian. Gylman. Tom. 3. symphorem. de quest. in jure Contr. Rubr. Camera & pers. Cameral. pr. sæpius tamen contrario usu & observantia ab eo receditur, & novus stylus introducitur, sicuti hoc partim præfata Recessus Imper. verba, partim quotidiana experientia testatur.

Porro stylus Curia mutari potest per Principem. Huic enim uti Legem priorem abrogare liberum est; uti Consuetudinem hæcenus receptam abolere concessum; ita, quod stylum Curia immutare possit, nulla ratione negari poterit. Huc enim omnes judiciorum, & Tribunalium ordinationes spectant, quibus nova procedendi ratio præscripta, quas Judex loco styli antea recepti observare necessum habet. Verum hoc dubium non habet, si de expressa mente Principis constet, quod stylum Curia mutare velit, sic enim voluntas hæc pro lege servanda. L. 1. ff. de Constitut. Princip. Unde & si Princeps contra stylum Curia rescribat, expressè inserta Clausula, non obstante stylo, Rescriptum validum erit, cum satis, quod hoc passu derogare stylo voluerit, inde constet, Petr. Rebuff. d. Consuet. art. 2. Gloss. 13. n. 37. Clausula enim, non obstante, hujus efficaciam est, ut tollat omnes omnium locorum Consuetudines, omniaque statuta, in contrarium facta. Gail. lib. 1. obs. 18. n. 2. Ergo eadem vis ad stylum Curia tollendum se quoque extendat necessum est.

- De eo vero magis dubitari poterat; an si voluntatem derogandi stylo non expresserit Princeps, nihilominus tamen contra stylo rescripserit, exinde stylus mutetur? Et hic verior videtur sententia, stylum ita non mutari. Non enim hic de potestate Principis rescribentis quaestio est, sed de voluntate. Jam vero de intentione & voluntate rescribentis certi esse debemus, alias Rescriptum eousque non extenditur. *C. ad aures. 8. & C. mandatum. 38. X. de Rescript.* Et quamvis ex eo ipso, quod stylo contrarietur rescriptum, tacite voluntas Principis derogandi stylo colligi posse videatur, attamen & hic trita illa locum habebit regula, quod multa expressa noceant, non expressa non noceant. Nam & in Rescripto quicquid expressum non est, pro omisso habendum, *Gail. lib. 1. obs. 35. n. 3.* Unde colligunt Doctores; quod rescripta obtenta contra stylum Curiae, praesumatur subreptitia & non valeant, *per C. ex parte 2. & ibi Doctores X. de Rescript. Jacob. Menoch. de praesumpt. lib. 2. pres. 8 n. 20. & lib. 5. praesumpt. 20. n. 21.* Non obstante clausula hac, motu proprio, cum per eam talis praesumptio non purgetur, *Richter, decis. 15. n. 35.* Et falsa dicuntur Rescripta, in quibus saltem Titulus insolitus continetur *C. quam gravi 6. X. de Crim. Fals.* Ubi subjicitur, quod Rescripta Pontificia tam in Bulla, filo & charta, quam in stylo inspicienda, ne vera pro falsis, & falsa pro veris admittantur, *vid. Rebuff. d. art. 2. Gloss. 13. n. 32. seqq.* Si itaque Rescriptum contra stylum datum sit, non tenetur Judex statim, idem Rescriptum exequi, sed sine reprehensione supersedere & expectare secundam jussionem potest. *Nicol. Everhard. Topic. Legal. Loc. à styl. Cur. 105. n. 1. circa fin.* Si enim postea secunda jussio accesserit, constabit inde de enixa voluntate Principis; Haec enim secunda jussio tantum operatur, quantum motus proprius, *Andr. Gail. dict. obs. 35. n. 6.* Quae ipsa duplici ratione intelligi possunt; Vel, si Rescriptum imponat aliquid judici observandum, quod contra stylum sit suae Curiae, quem Princeps, uti antea dictum, tacite mutare non praesumitur; cum uti particulares locorum consuetudines, ita & stylum particularem ignorare praesumatur. Vel si rescriptum sit contra stylum, in Curia Principis adhiberi solitum, de quo Textus *C. quam gravi X. de Rescript.* utroque casu enim idem erit effectus.
- Cæterum an & alius inferior Judex facultatem mutandi stylum habeat, dubitatur? Non posse hunc stylum mutare sine magna causa dicit *Rebuffus dict. Gloss. 13. n. 50.* Et tamen mutationem judicum mutationem styli ordinarie subsequi, testantur plerique, *Rebuff. d. loc. Hieron. de Cavall. de cognit. per mod. violent. q. 62. n. 64.* Breviter vero ita dicen-

cendum putamus. Quaecunque facultas judici introducendo stylo Curiae concessa, ea & in immutando & abrogando; hæc enim naturali quodam vinculo sibi connexa sunt. *L. nihil tam naturale, 35. ff. d. R. 3.* Circa introductionem vero, quid possit iudex, id capit. 2. expositum; scilicet, quod per Actus, à iudice gestos, stylus induci possit: Ergo per Actus in contrarium gestos, & ab aliis iudicii membris parili usu comprobatos, derogare stylo, vel eundem immutare poterit. Quanquam hi Actus contrarii sæpius ex imprudentia iudicum proficiscantur, uti conqueritur Rebuff, *d. l. n. 51.*

Hæc de mutatione styli dicta sufficiant, ubi tamen ex abundantia & ob vicinitatem materiae de mutatione Ordinationum Judiciariarum unicum saltem subjungere iubet. Certum est, quemvis Principem Imperii ob superioritatem territorialem facultatem habere, cursum iustitiæ in suo territorio pro lubitu dirigendi: Uti enim jus erigendi Dicasteria ipsis competit, *Nicol. Myler de Jure Princip. Imper. cap. 42. n. 1. seqq.* Ita quoque jus ordinem judicarium illis præscribendi competat necessum est; Quod experientia omnium Imperii provinciarum abunde probat, adeo, ut confirmatio Imperatoris hic præcise necessitatis non sit. Sed quid si Princeps aliquis Ordinationem Processus conscripserit & Confirmationem Imperatoris de super impetraverit, an postea citra consensum Imperatoris eandem Ordinationem immutare possit, & novam inducere? Sic E. G. Ordinatio Judiciaria in Pomerania à Barnimo & aliis Pomeran. Ducibus Anno 1566. edita, confirmationem Imperat. Maximiliani II. præmissam habet de Anno 1568. quæ ordinatio & ad hoc usque tempus, & ita per seculum integrum usu Dicasteriorum Pomeraniæ retenta fuit; An ergo Serenissimus & Potentissimus Elector Brandenburg. Dominus Noster Clementissimus, eandem Ordinationem tollere, & novam in scio Imperatore condere possit? Et hoc affirmare non dubitamus. Confirmatio enim omnis vel necessitatis gratiâ adhibetur, vel ex abundantia. Illa facit, ut confirmantis consensus in mutando statuto necessaria iterum sit, non hæc. *Henric. Zoef. Comment. ff. de Constit. Princip. n. 35.* Atqui verò præsens Confirmatio sine dubio ex abundantia est, cum illa potestas jam tum ipsis Imperii Principibus competierit, unde & præfatus Pomeraniæ Dux Barnimus in dicta Ordinatione sibi expressè facultatem mutandi reservavit, his verbis: *Jedoch mit vorbehalt besserung und enderung/ so d'ist solches nöthig seyn möchte/ publiciren und in Druck geben zulassen.* Ubi itaque confirmatio non dat esse negotio, ibi nec pariter,

- pariter, si tollendum id ab illo est, qui negotium gessit, quod citra confirmationem libere alias gerere poterat, quicquam illa attendenda venit. Sic olim Serenissimis Electoribus Brandenburgicis liberum fuit jus Saxonicum in Marchia recipere, non alia ratione, nisi vi superioritatis territorialis. Postea pari Authoritate Jura Saxonum iterum abrogarunt in Marchia penitus, recepto iterum jure Civili, *Dn. Pruckmann. Vol. 2. Conf. 25. n. 95. Vid. Excellentiss. Dn. D. Rhetius in Commentar. ad Jur. Feudal. proœm. Verb. incipiunt, n. 86.* Hodie, si nova procedendi ratio iterum placeret, nil obstaret, quo minus optimo jure introduceretur. Unde & hodie, ubi jurium suorum ac Authoritas observantiores sunt Imperii Principes, rarius in ejusmodi Ordinationibus Confirmationem Imperatoriam adhiberi, res ipsa loquitur.
- Lustravimus itaque, qua ratione stylus vel contrario stylo vel per contrariam Principis Ordinationem mutetur, Jam Coronidis loco quædam subjungenda, quæ stylum ex opinione Doctorum in se nullum reddant; Huc spectat, quod sæpius à Doctoribus inculcatur, stylum, contra jura receptum, esse nullum; hinc stylus contra Legem certam non coadjuvatur, sed annullatur, uti loquitur *Flamin. Paris. de Resignat. Benefic. lib. 3. Q. 18. n. 79.* Nam per stylum non potest introduci, quod Juri Communi contrarium *Martin. Uran. Tom. 3. Consil. 16. de Matrim. n. 8.* Et si manifeste repugnet legi, non est observandus, *Menoch. Conf. 717. n. 7.* nisi Magistratus potestatem condendæ legis habeat, *Marius Giurb. decis. 39. n. 45.*
- Huc porro spectat, quod si statutum stylo contrarium sit, ille non valeat, *Alexand. Stiatic. Pract. Observ. c. 10. n. 20.* Per consequens etiam stylus contra consuetudinem introductus, erit nullus, cum consuetudo recepta, vim legis habeat, *L. 32. ff. de Legib.*
- Sed ut breviter nos expediamus, hæc pro contrariis styli Curia venditamur minimè: si enim stylus juxta requisita illa, in *cap. 3.* proposita, inductus fuerit, omnino etiam Legi & statuto derogare poterit. Sed si legem & stylum contrarium in genere sibi opponas, quod semper Lex stylo fortior sit, nec ita vel à stylo vel à consuetudine vincatur, dicendum; quo pacto intelligimus notam illam, sed vexatam *L. 2. Cod. qua sit long.*
- Consuetud.* Si tamen stylum qua posteriorem lege respexeris, utique dum Legi contrario usu & ex conniventia superioris repudium mittitur, stylus seu Consuetudo judicialis, post legem recepta, potior erit. Unde aliqui ita loqui malunt; Consuetudo non vincit legem, tollit tamen legem, *Dn. Hahn. ad Wesenb. Tit. de legib. n. 9. ad Verb. An autem contra jus.*
Nec

Nec ab hac opinione alieni sunt Doctores, sed hunc effectum omnino stylo tribuunt. Nam stylus servandus est, etiamsi contra jus foret. *Francisc. Vivius lib. 3. Decis. 478. in fin.* Stylus enim omni juri derogat, *Modestin. Pistor. vol. 2. Consil. 12. num. 80. Adde Don. Garf. Mastrill. Part. 3. decis. 261. n. 59.* Et stylus ac observantia cujusque Aulæ, cujuscunque item judicii potens est, ad derogandum omni legi, omni Constitutioni, omni denique Ordinationi, *Dn. Pruckman. vol. 1. Consil. 50. n. 385. & quos ibi citat.* Imò stylus Juri scripto & non scripto dominatur. *Zaf. vol. 1. Consil. 11. num. 3.* Quando itaque alii Doctores tunc demum contra jus Commune stylum attendendum esse volunt, si legitime stylus sit præscriptus, *Marta Neapolitan. digest. noviss. Tom. 1. Rubr. stylus. cap. 6. Joseph. Ludovic. Tom. 2. decis. 36. num. 17.* vel stylum contra jus non induci nisi appareat de tacito Populi consensu, cum cursu longi temporis ad introducendam Consuetudinem, *Card. Tusch. Pract. Conclus. lit. S. conclus. 695. num. 24.* Illi plerumque stylum decisorium, non Ordinatorium intelligunt; nam stylum, quatenus Ordinem Processus concernit, posse etiam contra jus induci statuerat *Marta dict. loc. cap. 4.* Nobis verò uti hæc distinctio reprobata fuit *Cap. 5. num. 10.* Ita eam hic quoque non agnoscimus. Quod verò de præscriptione Styli sæpius hic urgent Doctores, tangere nolumus: Explosus enim ille veterum error est, Consuetudinem non valere, nisi præscriptam; quam peperit Consuetudinis & Præscriptionis minus accurata distinctio. Sed hoc obiter. Quod si ergo contra legem validus est stylus, nil dubii subest, etiam contra statuta vel expressas Judiciorum Ordinationes eundem valere. *Dn. Pruckmann. dict. loc.* Per consequens ergo & ipsam Consuetudinem stylus novus tollet. Hinc si stylus Curie sit contrarius Consuetudini, Civitatis stylo, tanquam speciali, cedere debere consuetudinem, tanquam generalem, cum *Guid. Papæ Decis. 292. statuit Bertazol. Claus. 4. Gloss. 36. in fin. Borell. Summ. Decis. lib. 1. Tit. 14. n. 104.* Plura desiderantem ad Praxin remitto, unde major, quam ex libris, cognitio Styli Curie haurienda. Interim hæc, ex variis Dd. scriptis collecta boni consules L. B. & si stylo minus accurato stylum C. descripsero, largieris veniam. Ad limam omnia revocasse, nec temporis nec ingenii ratio permisit. Tu, quæ defunt, candore & favore tuo supplere, non dedignare.

94 A 7371

ULB Halle 3
001 700 707




SB

94 A 7371

Vb 17





31
XXXX

DISSERTATIO JURIDICA
DE
STYLO CURIAE,

QVAM
AUCTORITATE
MAGNIFICI FCTORUM ORDINIS
IN
ILLUSTRI ACADEMIA VIADRINA,
P R Æ S I D E
V I R O
NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO, EXCELLENTISSIMO
DN. SAMUELE STRYKIO,
J. U. D. INSTIT. IMPERIAL. PROFESS.
ORDINAR.

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO
HONORATISSIMO,
IN AUDITORIO FCTORUM
AD DIEM XV. JULII. A. O. R. M. DC. LXX.
HORIS SOLITIS

PUBLICE EXAMINANDAM PROPONIT
CHRISTIANUS Groß /
SEDIN, POMERAN.

Cum Privilegio Sereniss. Elect. Saxon.

V. I. D. XXIII.
Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta / M. DC. LXXIX.